Digitized by Google

R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
A
497
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Racc. Vill A. 49.7

VINCENTII MARIÆ CAPUTI

RERUM GALLISPANARUM

LIBRI DUO.

NEAPOLI MDCCLXXXVI.
Typis Dominici Pianeſe.

Superiorum permiſſu.

Biblioteca Nazionale V. E. III. NAPOLI

Digitized by Google

FERDINANDO IV.

UTRIUSQUE SICILIÆ REGI &c.

Quod mihi potiſſimum optandum videbatur, ut aliquod REGI meo, & PA-

TRONO bonarum artium pro tenuitate ingenii mei offerre munus poſſem, nunc primum videor eſſe aſſecutus; Galliſpanarum nempe rerum hiſtoriam NOMINI TUO dicari TE facile tuliſſe: parvum quidem munus; ſed nihil dignius cum haberem, id obtuli audacter, non AUGUSTI VIRI dignitatem, non REGIS amplitudinem veritus, humanitatem tuam potius introſpiciens, quam majeſtatem. At hercle non tam ſuperbæ ædium moles,

ſplen-

ſplendidæque regiarum gazæ ſtrenuos ſæpe Reges delectarunt, quam blanda literarum ſtudia, præſertim hiſtoriarum; quod illæ ſenſibus; hæc vero animis, publicisque, & privatis conſiliis multum prodeſſe crederentur. Neapolitanorum Regum nonnulla exempla habes, tum Hiſpanorum, tum etiam Gallorum, locupletiſſimum denique in optimo FRATRE tuo, quem non regiis modo artibus, ſed literariis etiam ſtudiis accepi-

mus incubuiſſe . At novas TE quoque Academias excitaſſe vidimus , perutileſque Philoſophorum ſcholas ; unde & multas novimus inventas artes in cultum corporis , animique ; ſalubriores quoque uſus conſtitutos eſſe; & acriora exarſiſſe in populis ſtudia literarum . Enimvero in Galliſpanarum rerum lectione eſt quod ad TE maxime attineat ; hiſtoria ſcilicet gentis tuæ , a qua natus , a qua prognatus ſis , cum qua inſolubili foedere junctus

con-

conſortii omnis jura communicata habes cum conſanguinitate: habes præterea quod tibi capias, quod imitere, ſcilicet PATRIS decora, artesque belli, & pacis, ſimul conſtantiam ejus, & eximiam prudentiam, ſimul pietatem. Non abſurdam ergo rem feciſſe videor, ſi prudentiſſimorum Regum, bellicoſarum gentium hiſtoriam condiderim, quæ claris ubique abundat exemplis cum rerum geſtarum, tum conſiliorum; ea autem enixe cu-

Digitized by Google

raverim , ut Auguſto TUO NOMINI inſcriberetur, quod in tuo Regno natus , tuo imperio ſubditus quos ego ingenii mei partus ſuſtuliſſem, TUÆ, TUORUMQUE gloriæ potiſſimum obſequerentur. Illud quoque occurrebat animo, quoniam Lucenſis homo Caſtruccius Buonamici ſub auſpiciis PATRIS tui Italici belli hiſtoriam confeciſſet , ſi Galliſpanas ipſe res, quæ TE proxime attingunt, Scriptor indigena ſub tuis auſpiciis perſcriberem , id me

con-

convenientius eſſe facturum.

Si quid vero vel ingenii in me eſt, vel facultatis, cum id omne in TUI obſequium contulero, vehementer gaudeam me aliquo modo inſerviſſe laudibus gentis TUÆ; debitum quoque TIBI officium, qua parte poſſem, perſolviſſe; & uberrimum me fructum cepiſſe induſtriæ meæ

Digitized by Google

VINCENTIUS M. CAPUTI

HISPANIS, GALLISQUE, ET BRITANNIS, ET ANGLOAMERICANÆ GENTI, *S. D.*

EST hoc in Scriptorum more poſitum, ut ſimul librum ediderint, ſtatim illum doctis hominibus, amiciſque commendent, à quibus adverſus obtrectatorum invidiam præſidium ſperent ſe accepturos eſſe. Mihi vero rerum veſtrarum hiſtoriam ſcribenti vos potiſſimum occurriſtis, quibus commendarem; quod firmior à vobis gratia, & major in vobis auctoritas fore videbatur. Profecto ſi gratum, acceptumque vobis opus eſſet, jam fama nominis mei, & laus undequaque, tantis Populis approbantibus, redundaret: tum vero operi tutelam, & mihi immortalitatem ſpondere poſſem. Hæc fortaſſe ſatis digna cauſſa eſſet propoſiti mei: ſed eſt alia longe potiſſima, quæque

que ad me pariter, & ad vos attinet. Nam ſi quod ſcriptum vobis opus eſt, id veſtrum eſſe, & ad vos pertinere exiſtimaveritis; tum alacriore ſtudio illud ſuſcepturi eſtis, ſimul propenſiore animo lecturi; ut ſi quæ in eo fortaſſe bona ſint, veluti ad mercaturam veſtram vocati facilius hinc cognoſcere, & libentius uti poſſitis. Mihi autem in narratione rerum veſtrarum neceſſitas imponetur majoris adhibendæ induſtriæ, & cura comparandæ utilitatis, & dignitatis tuendæ veſtræ. Enimvero in difficili curriculo meo in vos interdum ſuſpicere, & tamquam adjutores adhibere; nam perſeverantiam veſtram, & animi magnitudinem imitari me maxime decet; ut nec tædio deinceps, nec difficultate operis commoveri, ſed quaſi invictus a labore, & ab omni perplexitate animi propoſitum perficere inceptum publico bono poſſim. Illud vero quærendum in primis erat, ut parem virtuti, ac dignitati veſtræ Scriptorem haberetis, qui rerum veſtrarum magnitudinem eloquentia, & fama nominis exæquaret. Meo namque judicio ali-

qua

qua debet eſſe convenientia, vel ſimilitudo Scriptoris, & eorum, quorum facta ſcribuntur; ne diſſimiles omnino conditione videantur; quod hiſtoriæ plerumque auctoritatem faciat dignitas quædam, & præſtantia Scriptoris. Eam autem auctoritatem non doctrina ſua magis, quam externarum aliarum rerum, & honorum apparatibus plerique obtinuerunt. Ita Cæſar, Salluſtius, Xenophon, aliique docti Scriptores dum publicis conſiliis, aut bellis præſunt, fidem hiſtoriis ſuis, & dignitatem attulerunt. Me vero mediocri doctrina præditum, multis præterea rebus imparatum, quibus inſtructum eſſe oporteret, probe intelligo nec ſatis apte perſequi ſeriem tantarum rerum, nec præſtantiam illarum oratione conſequi poſſe. In cætera vero conſuetudine cultus, & vitæ meæ longe ab dignitate decorum veſtrorum, & majeſtate conditionis veſtræ videor abeſſe. Ut enim veſtram, majorumque veſtrorum famam, & multiplicata imperia taceam, vos ne tandem rerum geſtarum gloria onuſtos, tot victoriarum, & humanæ omnis feli-

cita-

citatis curſum emenſos cum unius privati hominis , nec beati fortuna conferam ? Enimvero diſparitas hæc aliquo modo, nec difficili penſari ex parte poſſet , ſi honeſtatem , fidem , veritatis obſervantiam , quæ res magnam afferunt Scriptoribus dignitatem , perpetuo tenore retinerem . Id autem præſtare vobis in animo eſt , ne quod expedire utiliter quiverim ſponte videar neglexiſſe . Ita & gloriæ , famæque veſtræ , & poſteritatis utilitati , & ſtudioſæ juventuti conſuluiſſe exiſtimaverim. Nihil enim vel æque frugiferum eſt, vel æque aptum inſtruendis, regendiſque animis hominum, quam recte, prudenterque condita hiſtoria, a qua vitæ normam , & inſtitutionem ſive in privatis, ſive in publicis adminiſtrandis rebus unuſquiſque habere poſſit ; unde & conſiliorum ratio , & variarum rerum cauſſæ, virtutum , vitiorumque exempla velut ſuo fonte ducta dignoſci , & explanari poſſint. Eſt ea quoque multarum artium, & doctrinarum magiſtra , bonorumque ingeniorum altrix , ſive in Logice, & Philoſophia morum humanorum , ſive in eloquen-

quendi genere diſertiſſimo, varietate re-rum delectabilis, in præceptis prudens, ſimplex, non ambigua, non torva, non faſtidiens, ſed patiens, & acceſſu facilis, & ſuaviſſimam cuique mercedem afferens ſtudii ſui. Ea igitur mente, atque inſtituto ſcripturus hiſtoriam, ut ſalubris veſtra lectio ſit, ab omni alterutrorum gratia, & ambitione animum avertam: quod non aſſentandi, aut blandiendi cauſſa ſcribam, ſed inſtruendi, admonendi, ſtudio perpetuandi laudes veſtras. Eſt ea quoque merces, ac veluti fructus laboris mei, ut in tanta rerum ſcribendarum copia nunquam me laus veſtra deficiat; & quod pulcherrimum mihi eſt inter ipſas acerbitates belli, & animorum contentiones multa video a vobis edita exempla humanitatis, quæ nullo modo præterire volui, quod poſteritati præclara documenta eſſent, æternam vobis paritura laudem. Si quid vero vel ſtudio meo erga vos, vel lucubrationibus meis debetis, id vos pene totum debere credo doctiſſimis viris Benedicto Mariæ Sanſelice Nucerino Epiſco-

ſcopo, Auguſtino Gervaſo Epiſcopo Gallipolitano, Cajetano Gelani Senatori optimo, Alexandro Comiti Criſolini, Nuntio Mariæ Polio, Vincentio Ariano familiari meo, Xaverio Mattei, Dominico Cotugno, qui mihi ad ſcribendum animum addiderunt, quod crederent operæ me prætium facturum eſſe. Horum autem opinionem ita accepi, ut neque me tanto operi parem, nec prorſus indignum expectatione veſtra judicarem; ne vel abjecti animi vitium ſubirem, vel temeritatis. Qualecumque igitur hoc opus eſt, totum id veſtrum eſt; idque benigne excipite; ne quod animi magis, quam virium mearum munus eſt, vos videamini reſpuiſſe, cum prudentiſſimi ſitis: Ea enim ſpe, ac ratione difficile hoc opus ſum aggreſſus, ut perpetuam vobis tot illuſtrium facinorum laudem, opportunam ſtrenuæ juventuti æmulationem, mihi denique apud vos gratiam pro ſuſcepto labore quærerem.

LI-

LIBER I.

CAPUT I.

Pacis conditiones, & novi belli ſemina, cauſſæque explicantur.

Poſt diuturnum bellum, in quo Angli, Gallique de maris imperio contenderant, atque de ea Americæ parte, quam Canadam vocant; pax tandem anno Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio facta erat. Huic quoque pacis fœderi adſcripta Hiſpania eſt, quæ paucis ante menſibus, quam pax conveniſſet, bello immiſcuerat ſe; cum victorias Anglorum, Gallorum clades diu quieta ſpectaſſet: eandemque, quam Galli, armorum ſortem experta erat. Sed neque pacis æqua jura fuere, ut quæ a victore hoſte dabantur; ea tamen, ut

Digitized by Google

vulgo credebant, non tam fractura animos, quam incitatura bellicoſarum gentium erant ad renovandum bellum. Cedere interim coacti Hiſpani ſunt Luſitania omni, quam invaſerant, atque ea Floridæ parte, quam poſſidebant: reſtitutaque iis Avana urbs eſt, inſulaque Manilla. Nec minus ex ipſo fœdere Canadianam omnem Regionem Angli retinuerunt, ac Terræ novæ Inſulam; ex quibus jam ingentes pecuniæ reditus quotannis percipiebant. Pax tamen diutius, quam credebatur, manſit; ſeu quod non acerbe uſi ſunt victoria ſua Angli; ſeu quod Galli fracti opibus, maritimis præſertim, a novo bello abhorrebant. Extrinſecus tandem ratio, & cauſſa belli venit. Civiles per ea tempora pullulabant in America diſcordiæ inter Colonias Anglorum; quod ægre ferebant Europæ dominationem, & patriæ: *querebantur palam ſe non, ut par eſſet, æquo jure, ac libertate uti, qua cives ſui conſanguinei in Anglia viverent: inde leges, inde tributa imponi cervicibus ſuis, libero equidem populo, & qui non Britanniæ ſolum remotas illas terras colerent, tueren-*

ren-

rentur , ſed ſibi quoque ; & liberis ſuis . Æquum non eſſe , quia patriæ obſequerentur , imperium augerent , & commercium , ideo capite diminui . Quid inter ſe , & ſervos intereſſe excluſos conciliis Angliæ , jura pro malignitate Miniſtrorum , & libidine ab Europa expectantes ? Et tributum per idem tempus Colonis imperatum eſt , quo occulta velut ſeditionis flamma in magnum incendium exarſit . Rebellavere igitur major Coloniarum pars ab Rege Anglorum , præſidiiſque regiis ejectis , novam ſibi Rempublicam conſtituerunt . Atrox deinde bellum exortum eſt inter Anglos , & Americæ Colonias . Expectatione exitus tanti belli erecti Galli ſimul Hiſpanique , nec favebant cauſſæ rebellantium , nec adverſabantur ; donec magno illecti quæſtu Galli , quem in commercio Coloniarum faciebant , commeatibus , inſtrumentiſque bellicis eas adjuvare cœperunt . Hoc vero indignum Anglis viſum eſt , & contra jus fœderis fieri ; quod cautum in eo peropportune erat , ut , ſi alterutri bellum quovis cum populo iniſſent , mutuis ſe ſtudiis , offi-

ciiſque, velut amici proſequerentur; nullumque hoſtibus auxilium præberent. Anglorum itaque legatus, qui tum in Gallia erat, injuriam queſtus, petiit, ut nulla omnino re Coloniæ juvarentur, portubuſque Galliæ naves earum excluderentur, quoad bellum eſſet. Obtinuit a Ludovico Rege, ut decreto ediceretur Gallis, ne arma, bellicaſque alias materias rebellibus ſubminiſtrarent, portubuſque omnis Galliæ prædatoriæ eorum naves prohiberentur, prædaſque vendi in Regno ne ſinerent. Gratiæ Ludovico actæ, paciſque perpetuata conditio videbatur.

CA-

CAPUT II.

Galli, quod fœderatis Coloniis auxilia ſubminiſtrabant, offendunt Anglorum animos; nihilominus fœdus cum Coloniis ineunt. Hiſpani utrique populo conditiones ferunt de reſtabilienda pace, quæ tamen non conveniunt.

NOn deſiſtebant interim Galli mercatores pollicitationibus, præmiiſque capti naves mittere in Colonias arma; & conductitios milites portantes; quarum plereque navium ab Anglis captæ, indicia, ut ipſi ajebant, apertæ fraudis dederunt, & imminentis cum Gallia belli. *Veriſimile prorſus non eſſe clam, & præter regiorum miniſtrorum ſcientiam tanta auxilia ſuppeditari Coloniis, præſertim cum in ipſis navibus multi ex regiis copiis milites, centurioneſque inventi ſint, qui Colonias peterent; multi quoque eo ducti militarent ſub ſignis Coloniarum*. Tum renovatæ in Gallia querelæ ab legato Angliæ; miſcebanturque minæ, ni ab incepto abſiſteretur. Miniſtri vero Galli, *non eſſe regiæ digni-*

gnitatis, ajebant, *ulterius concedere Anglis, & ſuperbæ vanitati eorum: abſolutum eſſe quod fas, juſque petiſſet. An pro quolibet Gallo reſpondere Ludovicus debeat, & dare pœnas alienæ fraudis? Si privati ſuo nomine, & impenſa Coloniis auxilia ſubminiſtrarent; id ſuo periculo facere. Et jam plenos eſſe Gallarum navium portus Anglorum, quas partim jure, partim ſub minimis ſuſpicionibus interdicti commercii prædati ſint; nec ab regiis Ludovici navibus abſtinuiſſe eos, quas & repeti, & reſtitui æquius ſit*. Hæc partim palam, partim legato Anglo dicebantur: ſed clam, & in conſiliis ſubnectebatur. *Si fœderis, amicitiæque pœniteret Anglos, prætermittendam occaſionem non eſſe Britannici imperii infirmandi antiqui, perpetuique hoſtis: & nunc illud tempus eſſe, quo maritimis viribus reſtitutis, terreſtribus quoque copiis abundet Gallia. Diſtractum rebellione Coloniarum Anglum opportunum fore armis, & ferociæ Gallorum: quod ſi vires fidelibus quoque conſiliis juventur, omnia audere, omnia ſperare oporteat. Quid ſi ſocia quoque belli*

Hi-

Hiſpania futura ſit? Reſpicerent proximam illam gentem recenti, vetuſtoque fœdere junctam Galliæ non minoribus viribus fultam, pecunia, conſilioque præpollentem, armorum inſuper avidam, & præteritas ulciſcendi injurias. Cui dubium ſit, quin florentiſſimis duobus populis conſpirantibus ſuccumbere Britannia debeat? Decretum itaque eſt, ut ſuis ad bellum ſtimulis incitaretur Hiſpania, & fœdus cum Coloniis iniretur mutui commercii ſtudio, in quo tamen adjiceretur, ut ſi hujus fœderis cauſſa bellum Angli indicerent Galliæ; tum junctis duorum populorum viribus Europa, Americaque bellum gererent. Facile cum Coloniis fœdus convenit, quæ jam ante a Gallis auxilium petierant adverſus, ut ipſi dicebant, communem hoſtem, qui ſub vana tutela pacis omnium gentium commercio, & juribus inſidiaretur. Ad Hiſpanorum animos commovendos major difficultas erat tardum, & cunctatorem populum, & maturo omnia conſilio gerentem. *Commemorabant Borbonicæ gentis fœdus; & ſperare ſe, ut ſi coacti injuriis bellum adverſus Anglos ſuſcepiſſent, conſociatura*

ſecum arma Hiſpania ſit. Et Floridæ, Jamaicæque dolore amiſſarum ſollicitabant animos: Hiſpanis illam inſulis objectam eſſe: inſulis hanc, & Mexicano imperio; unde facilis Anglis in utrumque locum trajectus eſſet: donec retinerent eas, imperium Hiſpanum quieſcere non poſſe. Et in continente Americæ Hiſpanæ caſtella extructa ab iis, dominationemque terrarum proximarum ſibi partam: commerciumque legibus prohibitum exercere ibi, ac protegere armis. Niſi reſiſtatur, maris libertatem acquiri non poſſe: offerre ultro Galliam vires ſuas, ut obtineatur; contentoſque fore Gallos commercio cum fæderatis Coloniis; maris imperium, & Americæ Hiſpaniæ ceſſurum eſſe. Multi Hiſpanorum erant, qui ſuſcipiendum bellum eſſe, nec tantæ ſpei negligendam occaſionem cenſebant: *alii contra nimis dubiam, ac periculoſam jactari ſpem tantarum rerum*, ajebant; *ut ſimul jacta alea ſit, nequaquam ſui arbitrii futurum recedere inde, quo progreſſum ſit, & priſtinam ſervare tranquillitatem. Præpotentem maritimis viribus Anglum ultro laceſſere, & quieſcentem irri-*

irritare hoſtem non eſſe prudentiæ ſuæ: maturum rei tempus expectandum eſſe. Si quid inclinet Anglorum fortuna in civili illo bello, tum meliori ſpe debilitatos aggredi poſſe. Bellicoſa tamen gens, tot pollicitationibus inſuper incitata arma, bellumque ſpectabat. Placuit Carolo Regi mediam ſententiam tenere, & in præſentia abſtinere armis: eoque magis, quod per idem fere tempus Britanniæ legatus Carolum rogaverat, ut arbitrio, auctoritateque ſua recrudeſcentes inter Galliam, Britanniamque diſcordias comprimeret: gratiſſimum id fore Georgio Regi; æquiſque conditionibus ſtaturum Anglum, ſi per Gallos liceret. Scribendum itaque Carolus cenſuit Almodavaris Marchioni, qui ſuus tum Londini legatus erat; ut Britanno ſuo nomine reſponderet Regi; libenter ſe, quod felix fauſtum utrique populo eſſet, Arbitri munus ſuſcepturum; auditiſque partium querelis, æquas ſe laturum conditiones, quibus pacificari poſſet. Gratum id reſponſum Regi, populoque Britannico fuit. Sed citius ſpes illa pacis evanuit, cum de conditionibus agi cœptum eſt. Poſtu-

la-

ſabant Angli, ut quoniam ex recenti fœdere cautum erat, ut neutri alterius partis hoſtibus auxilio eſſent: ita neque terreſtibus ullis auxiliis, neque maritimis rebelles Coloniæ adjuvarentur. Galli contra fœdus ſe cum Coloniis contraxiſſe dicebant, nec recedendi ab eo ſibi facultatem dari, nec commutandi aliquid; caverique volebant de libertate, & Republica Americanorum. Acceſſit etiam quod Hiſpani non ſuo bono minus conſulere, quam aliorum volebant in conditionibus reſtabiliendæ pacis; multaſque congerebant querelas adverſus Anglos: ſumma querelarum erat; militaria aliquot receptacula, vel turres ab iis extructa in continente Americæ Hiſpanæ; dominationemque ibi minus legitimam excurſionibus, armiſque acquiſitam, quibus etiam illicitum commercium magno cum detrimento Hiſpanorum promovebant. Ad hæc pleraſque mercatorum Hiſpanorum naves captas manente fœdere; militeſque & nautas captivitatem iniſſe; ſævitumque interdum in corpora eorum eſſe. His injuriis ſatisfieri volebant Hiſpani; alioquin vi, & armis propulſaturos ſeſe in-

injurias profitebantur. Hac Hiſpani clarigatione Anglorum animos irritavere; quibus ludificari fœdus videbantur; hoſtilemque animum prodere; quod quo tempore pacem oſtenderent, intentarent arma. Credo tamen aliquam inventuros fuiſſe rationem, qua pacificaretur; ſi tantummodo inter Hiſpanos, Angloſque diſceptatio jurium fuiſſet: ſed nulla inveniri poterat, qua vel Galli Colonis fœderatis amicitiam renunciarent, vel permitterent Angli aliquam fœderis ſpeciem inter eos eſſe: incuſabantque iidem Hiſpanos, quod aperte Gallorum conſiliis faverent. Ita pacis negotium intermiſſum eſt; infectaque re majus inter populos odium exarſit. Exaſperatis interim animis priuſquam aut commiſſum, aut indictum bellum eſſet, jam mari undique a privatis mercatoribus, piratiſque pugnabatur.

CA-

Bellicæ in Aſiâ, atque in Africa expeditiones narrantur. In Europa Galli nequicquam Cæſaream inſulam tentant: Angli in America S. Luciæ inſula potiuntur.

1779

CUm haud dubie bellum immineret, & ab Gallia per Britannicum legatum, & ab Anglia miſſæ in Aſiam literæ ſunt ad Prætorem Britannicæ claſſis, ut præverteret publico nomine inferre Gallis arma. Prætor ibi regiæ claſſis Vernon erat, & militum tribunus Monrò; quibus opportunum viſum eſt Pondicherium aggredi, arcem in Aſia Gallici imperii; quod fama ferebat, modico eam urbem cuſtodiri præſidio, dum novi ab Gallia commeatus expectarentur. Octo ferme majoribus navibus Vernon Pondicherium profectus eſt, validoque admodum militum numero, cui obviam Turnelius venit Gallicæ claſſis Prætor minori aliquanto numero navium. Commiſſa pugna, nihil memorabile actum, inſtaurataque poſtero die pari cum fortuna par-

partium . Sed præſtabat Anglus robore navium: Gallus itaque duas bellicas naves ex vicina quadam ſtatione arceſſurus, retro curſum flexit, tenuitque Trinquemalam. Sed Anglus Pondicherium impigre tendens, haud magna deinde difficultate quinque circiter millia paſſus ab urbe copias in terram expoſuit; montemque incepto opportunum occupavit: cingere deinde urbem, & ab terra, & ab mari inſtituit. Tribus partibus quatiebatur urbs, multiſque locis facta murorum ruina erat; properantibuſqne deinde Anglis per ipſas ruinas viam ſibi in oppidum facere; obſeſſi, ſpe reſiſtendi amiſſa, priuſquam deterior conditio deditionis eſſet, urbem tradiderunt. Magnus in ea tormentorum numerus inventus eſt, commeatuumque omnis generis, quibus victores potiti ſunt. Et alia quoque caſtella capta, omniſque Malabarica regio, quæ Gallicæ partis erat, ſub ditionem Brittannici imperii redacta eſt. Sed in Africa Senegalis eam partem, quæ ad Anglos pertinebat, Galli invaſerunt; perlevique momento occupaverunt: eodemque deinde impetu James arcem, quæ in-

inſula eſt, medioque in amne Gamb.
& parva alia caſtella inſulaſque, in quibus quæſtum ab Anglica ſocietate inſtitutum eſſe conſtabat, expugnaverunt; plurimaſque onerarias naves in amne (quem Sierra Leone vocant) indepti ſunt. Quamvis his acceſſionibus auctum, firmatumque Gallorum imperium in Africa videbatur; non tamen jacturas penſavere, quas in Africa fecerant: quod ſterilis plerumque Africa eſt; nec niſi ſervorum, & gummi, dentiumque elephantorum mercatura exercetur. Aſia vero nobiliſſima regio omnium rerum copia, mercibuſque, quæ ad neceſſitatem, & uſum, quæque ad voluptatem comparantur, abundans, longe, lateque eorum commercio gaudet, & lucroſiſſimos cultoribus fructus reddit. Hic ſtatus rerum in Aſia, atque Africa erat; in Europa interim, dum majori conatu tres potentiſſimi Reges bellum parabant, minoris aliquæ momenti expeditiones fuere. Erat in exercitu Gallorum voluntarius cum aliquot ſignis militum ſuorum Naſſoviæ Regulus Uningen. Huic cupido inceſſit Cæſaream occupandi inſulam in Britannico mari ſitam haud

pro-

procul ab litoribus Neuſtriæ; cujus inſulæ tum accolæ piraticam exercundo proximam omnem Galliæ oram infeſtam faciebant. Maclaviopoli collectis ad expeditionem navibus, militumque haud ſpernendo numero diu adverſi in portu venti claſſem tenuerunt: ſolutis deinde navibus maris æſtus impedimento fuit, ne in inſulam appellerent. Inſulani interim ad famam adventantis hoſtis uxores, fortunaſque ſuas in proximam Britanniam reduxerunt; diſpoſueruntque in litore milites ad repellandum hoſtem. Sed neque accolarum armis, neque regiis cohortibus opus fuit; repetentibus Cæſaream Gallis Prætor Britannicæ provinciæ naves ſuas bifariam diviſit: partem earum occurrere advenienti Gallo jubet; ipſe cum reliquis ab latere apparuit hoſti. Tum ancipiti perculſi terrore Galli, dum fugientes Maclaviopolim repetunt, nec tamen aſſequi poſſunt, coguntur in ſinum quemdam ſubducere naves, quas ægre tamen adverſus ſupervenientem hoſtem defenderunt. Poſt aliquam pugnæ ſpeciem Galli milites, navaleſque ſocii in terram dilapſi captivitatem effugiunt; na-

ves

ves omnes, præter unam, quæ Maclaviopolim receperat ſe, ab Anglis capiuntur. Et in America vario eventu pugnatum eſt. Eſtenghius, qui Gallicæ claſſis imperium habebat, ex portu Boſtonii profectus Martinicam venit, tentaturus deinde Anglicanas inſulas. Reperit ibi S. Luciæ inſulam, quæ Gallorum erat, obſideri ab Anglis. Baringtonius enim ex Barbada ſoluta claſſe, ſinum quemdam adierat Lucianæ inſulæ: nec repugnantes eum Galli egredientem in terram repellere potuerunt; refugienteſque deinde ipſi in vicinum quemdam collem expulſi ab Anglo ſunt. Facile tum horrea, inſulæque munitiones Gallis adempta, quibus impoſita ſigna aliquot militum, qui cuſtodirent. Eſtenghius interim validum ſuis auxilium laturus ad inſulam acceſſit; reperitque ſinum Anglis navibus occupatum. Quod ſuperabat numero navium, hoſtium quatere naves tormentis cœpit: ſed nihil proficiebat: tum octo ferme millia militum deſcendere in terram jubet: & proximiora litori loca perlevi momento cepit, dejectis Anglis; progrediturque deinde ad expugnandum collem. Hunc na-

tura

natura ſua validum adjectis inſuper operibus Angli munierant : & forte ſepes colli ſubjecta erat, nemuſque, & turris, quæ difficiliorem Gallis victoriam faciebant. Ingreſſi nemus Galli, nullum ibi hoſtem invenerunt : turrim quoque nec magna difficultate potiti ſunt : Ibi demum & excurſionis Anglorum, & initium pugnæ fuit. Nam & ab colle, & a ſepe majoribus tormentis, balliſtiſque latera, frontemque Gallorum inceſſere Angli, levibuſque, & cœcis fatigare præliis, donec eos conſternaverunt. Cum tumultuoſam illam pugnam tolerare Galli non poſſent, retro copias moverunt, magna tamen cum difficultate viæ, & omni vexatione militum, qui depulſi ſpe recuperandæ inſulæ, mediocri quoque affecti clade celeriter naves repetierunt. Eſtenghio tamen ſententia ſtabat non diſcedere inde donec navali pugna cum hoſte confligeret : ſperabatque acceptum incomodum inſigni ſe victoria ſanaturum. Sed ea quoque ſpes ſefellit eum. Nuntio enim accepto de adventu Bironis, qui aliam majoremque Britannorum claſſem ducebat; ſatis intellexit fore, ut

ut procul dubio opprimeretur ab hoſte, ſi ambo Britanni Prætores vires conjuxiſſent. Abjecto igitur pugnæ conſilio, mature ſe in Martinicam cum navibus reduxit.

CAPUT IV.

Grenadam Antillarum inſularum mercibus feraciſſimam Galli invadunt; difficilique admodum contentione obtinent. Et navalibus cum hoſte copiis proſpero ſuceſſu confligunt.

GAlli, ut ſunt natura ſua audaces, nec facile memoria cladium perturbantur, irritati magis, quam depreſſi animis; poſtquam navium auxilia ab Europa acceperunt, magna aggredi parant; & in Anglicanis inſulis integrare bellum, & navalis diu expectatæ pugnæ non præterire occaſionem. Paullo tamen ante, quam hæ copiæ tranſducerentur, excenſione in inſulam S. Vincentii facta, adjuti opibus Caraibarum accolarum Anglos dominatione expulerunt; auctis deinde viribus Grenadam inſulam ſaccaro, multiſque aliis Americanis frugibus feracem

pacem ſub Eſtenghii auſpiciis adeunt ; Ut primum in terram deſcenderunt, proximis collibus occupatis tripartito exercitu turrim validiſſimum inſulæ opus, quæ in editiori loco poſita erat, audacter aggrediuntur : & adjectæ per circuitum munitiones erant, quæ difficilimum inceptum Gallis faciebant. Neceſſitate tamen, non voluntate ducebantur ad eam rem conandam, quod bellicis carebat tormentis exercitus ; oppugnandique arcem conſueto belli more facultas non dabatur. Sed commode quicumque dixit, audacibus non raro favere fortunam ; Magno igitur animorum ardore cœpta pugna eſt : nec deinde ab incepto deterriti Galli ſunt ; quamvis & impigre obſeſſi repugnarent armis, ſituque meliores, & Britannica navis una, quæ in portu ſtabat, latus Gallorum acrius inceſſeret ope tormentorum. Eſtenghius dux militum, & pugnæ primus in munitiones evaſiſſe dicitur, & fortiſſimus quiſque miles ſecum, aditumque ſuis ad ſubeundum aperuerunt. Et illi incitati exemplo, expulſis undique Anglis in arcem pervenerunt, quæ non incruenta ta-

men victoria capta eſt. Magnam eo pecuniæ vim, & prætioſæ ſuppellectilis coactam ex omnibus inſulæ locis fama eſt, quibus locupletatus eſt feſſus miles. Poſtero deinde die S. Georgii urbem caput gentis ejus in deditionem Eſtenghius accepit; omniſque ita inſula in poteſtatem Gallorum venit. Peropportune ad Gallorum lætitiam explendam relatum duci eſt, Britannicam claſſem duce Birone haud procul inde abeſſe; cogique ad pugnam poſſe, ſi maturius obviam iretur. Hoc nuntio accepto Eſtenghius Gallicum in inſula præſidiun reliquit; majori deinde; qua potuit celeritate in navibus milites impoſuit, ac portu eſt egreſſus. Tanta quoque navium aliarum feſtinatio fuit; ut præciſis rudentibus, ducem ad pugnam ſequerentur. Et hoſtes ad famam obſeſſæ inſulæ maturaverant auxilium ferre. Itaque in conſpectu inſulanorum congreſſæ claſſes: & tumultuariæ ſimilis pugna fuit, quod ex inopinato erat, & quod acriori, quam conſtantiori prælio pugnabatur: nonnullæ quoque naves certamini non interfuerunt. Eſtenghio ſecundus ventus erat, cujus auxilio

lio uſus, & virtute militum ſuorum victoriam haud dubiam eſt conſequutus. Quamquam enim nullam hoſtium navem adepti Galli ſint; multas tamen ita fœdaverunt, ut diviſis deinde Bironus, & Baringtonius inter ſe navibus in Anglicanos portus reficiendas reduxerint; omnemque Grenadæ recuperandæ ſpem omiſerint. Onerariam quoque navem Anglam, quæ pecuniam, & milites portabat, prædati Galli ſunt: Grenadam deinde, re bene geſta, ad comprimendam accolarum ſeditionem redierunt.

CAPUT V.

Coloniarum cum Anglis belli ſcribendi ratio, & neceſſitas. Præcipuæ hujus belli res, quæ hoc anno geſtæ ſunt, perſcribuntur.

GAlliſpanas mihi ſcribenti res potiſſimum hoc loco occurrit, debeam ne Americanarum quoque Coloniarum bellum perſcribere, quod iiſdem annis cum Britannis geſſerunt. Nam & coherere Galliſpano, & ejuſdem pars eſ-

eſſe belli videtur ; cum nil a Coloniis vel bello, vel pace ſit actum ſine armis, & conſilio Gallorum . Abſonum autem ab hujus hiſtoriæ officio eſſet præterire ea , quæ clariorem rerum noſtrarum mentionem facerent . Pergam itaque illarum ſeriem ſcribere, quarum magis hiſtoriæ noſtræ memoria intereſt ; quæque ad ſummam totius belli , quo agitata Europa eſt ; & pacis hujus , qua nunc fruimur, magnopere conduxiſſe videntur. Anglicarum provinciarum in America imperium hoc anno habebat Clintonius acris ſimul , prudentiſque indolis vir . Opportunum hic tempus ratus bellum inferendi Coloniis , dum modicæ Gallorum vires in iis eſſent , aliiſque belli adjumentis indigerent ; ſuas bifariam copias diviſit : partem Campbellio attribuit , ut in Georgiam mari tranſduceret ; partem Prevoſtio , ut interiora Carolinæ loca finitimaque Georgiæ tentaret . Campbellius igitur aſſumptis , quæ Sandyhocio in portu erant navibus , ad meridiem, occidentemque curſum vergit, atque ad Savanaaccum flumen appulit infra urbem , quæ ab ipſo flumine nomen-

men accepit. Egreſſus deinde in ripam haud multa cum difficultate ſuorum expulit inde quaſdam Colonorum cohortes, quæ tranſitum cuſtodiebant: progreſſuſque porro facilius, quam ſperaverat; Savanaaccam opulentum juxta, ac validum oppidum vi cepit: minora deinde caſtella, urbeſque pari eventu potitus jungitur Prevoſtio; qui Carolinam pervagatus armis provinciæ ipſius partem in Britannorum redegerat poteſtatem. Hac rerum felicitate audaciores facti majora aggreſſi animo Carleſtonium urbem Carolinæ caput oppugnare ſtatuunt. Et forte numero militum abundabant, quod provinciales partim veteribus inducti ſtudiis, partim recentibus beneficiis capti, voluntario delectu copias auxerant; flagrabantque cupiditate antiquæ reſtabiliendæ dominationis. Carolinam provinciam, in qua Carleſtonium eſt, eo tempore defendendam ſuſceperant Lincolnius & Multries Præfecti coloniarum: Sed Lincolnio abſente, Multries ingreſſo in provinciam Prevoſtio obſiſtere non auſus, quod longe inferior viribus erat; ſenſim, nec fugaciter cedens prope Carleſtonium

ipſum ſe recepit. Tum Anglus cives, præſidiumque tentare, ut in voluntariam deditionem venirent; & obſidionem intentare ſi recuſarent facere. Sed impar tantæ oppugnationi erat; neque id Oppidanos latebat. Rejecta igitur deditionis conditione inducias ad certam diem conſtituerunt; quo tempore opportunum Prevoſtio viſum eſt in S. Joannis inſulam ſex millia paſſus ab urbe poſitam copias tranſducere; donec novis auctus viribus aliquid fama ſua dignum aggredi poſſet. Et jam Prevoſtio auxilia Clintonius miſerat cum pleriſque navibus; quæ tamen in Americanorum claſſem forte inciderunt. Americanæ claſſis hujus imperium Hopinghius habebat, qui tantæ prædæ occaſioni ne deeſſet, confeſtim Anglos eſt aggreſſus: partem deinde navium indeptus eſt; male fœdatas quaſdam ſuppreſſit; haud multæ ſane in novæ Jorkæ, atque Angliæ portus effugerunt. Ita deſtitutus ſpe auxiliorum Prevoſtius, cum diu moratus in inſula eſſet, præſidio ibidem conſtituto, in continentem ſe Britannicam cum copiis reduxit. Tum in vacuas ab exercitu regio

pro-

provincias novum Americani exercitum, in quo admixti voluntarii Galli erant, celeriter introduxerunt; amiſſaque caſtella omnia, præter Savanaaccam urbem, recuperaverunt. Majoribus interim exercitibus inter Clintonium ipſum & Vaſingtonium (Dictator hic fœderatarum Coloniarum erat) bellum gerebatur. De novæ Jerſei, & novæ Jorkæ imperio contendebant: ſed nequaquam pro utriuſque gentis viribus, & ſpe geſtum bellum fuit. Levibus plerumque præliis, & caſtellanis triumphis pugnatum eſt. Prævalidus copiarum numero Clinton occaſionem ſtruebat obtinendæ pugnæ, quam declinare Vaſington in animo habebat. Circumſpectare igitur omnia Britannus, ſi quo modo captare, ac decipere, tardumque, & cunctatorem hoſtem elicere ad pugnam poſſet. Non deſiſtebat interim fictis oppugnationibus, terriculiſque aliis laceſſere, atque irritare adverſarium, cui magis tutam habere Rempublicam, quam imperium augere cordi erat. Itaque nec præpropere quid facere, nec ad injurias ferocius iraſci, nec ad vana tentamenta agebatur callidi hoſtis

ſtis . Ita tranſactum eo anno inter eos bellum eſt . Meliori tamen ſucceſſu rerum in nova Angliæ Cleanus amnem Penebſcottum pleriſque cum navibus ingreſſus, magnam armatorum manum in eam regionem trajecit ; locumque conſtruendæ arci delegit opportunum , quo proximæ omni regioni dominaretur . Et jam incohatum opus erat ; ductaque foſſa, cum ad idem ſubruendum, interpellandumque opus magna Americani claſſe ex Boſtonis portu profecti ducibus Lavallo tribuno militum , & Valtonſtallo navium Prætore flumen intraverè ; Tum opere intermiſſo Cleanus hoſtium impreſſionem accipere impigre parat ; naveſque , quas in ipſo flumine habebat , ad pugnam expediri jubet . Boſtonienſes, ut prope accefſerunt ; tormentis , quibus abundabant ; Anglicas ferire naves intentius ; & munitiones quatere , quas Cleanus in ripa celeriter conſtruxerat ad protegendas naves . Sed nihil conceptæ ſpei ſuccedebat . Tentata deinde deſcenſio in ripam eſt ; nec ſine magna contentione obtinuerunt . Tum Cleanus recipere ſe in veteres munitiones arcis , eaſ-

easque non intermiſſo opere perficere inſtituit. Ibi atrox, & diuturna pugna fuit: & jam pertinax in illa oppugnatione gens Anglorum adoriri naves, arcemque inopinato impetu parabant; cum repente magna admiratione Britannorum Boſtonienſes fugientium potius, quam recipientium ſe more, impedimentis etiam relictis, ſuas naves conſcenderunt. Nam allatus iis nuntius erat de adventu Britannorum cum valida claſſe navium; quibus, ſi fugam non accelerarent, claudi in flumine poterant. Sed nequaquam pugnam, & captivitatem effugerunt. Prætor Britannicæ claſſis Collierius, ut Boſtonienſes ex inopinato opprimeret, celeriter flumen eſt ingreſſus, omnemque fugæ ſpem ademit. Territi illi improviſo conſpectu hoſtium, primo tamen viſi ſunt non recuſaturi pugnam: ut vero Anglicarum navium vim ſenſerunt, tum fugam ſpectare, & quærere. Aliæ ad ripas allidebantur naves; ex aliis milites, nautæque deſilientes in ripam ſalutem per ſilvas, inhoſpitaque loca quærebant. Major pars integræ in poteſtatem hoſtium venerunt.

CA-

CAPUT VI.

Hiſpanorum, & Britannorum expeditiones ad flumen Miſiſippi, bellumque in continenti Mexicana vario eventu geſtum.

ET ad flumen Miſſiſippi per idem tempus adverſus Hiſpanos ingens Britanni moliebantur bellum. Magnum mortalium numerum non ex Æuropeis modo, ſed ex accolis, barbariſque finitimarum provinciarum gentibus ad eam expeditionem contrahebant; cum Hiſpani Anglorum conſiliorum expertes, eadem tamen bellandi aviditate excitati ad arma, præoccupaverunt inferre hoſti bellum. Accitis ducentis & mille circiter militibus ex Luiſianæ Caſtellis Galvez Hiſpanæ provinciæ Prætor, Mancaacchæ, & Baſtonis-Roſſo arcem, quæ Anglicis præſidiis tenebantur, pergit oppugnare. Mediam ferme Hiſpanorum militum partem morbus in longa, & difficili via abſumpſit. Nihilo minus Mancaacca expugnata, Baſtonem-Roſſo validiorem multo arcem corona circumdedit. Celabat obſeſſos Galvez numerum ſuo-

rum

rum ; ſpeciemque majoris ; quam perinde eſſet , exercitus hoſti dabat . Inceptum ipſum argumento Anglis erat , quod numero ſuperarentur ab hoſte . Magna tamen difficultas in Baſton expugnando fuit; nec niſi dirutis muris in deditionem redacta eſt : Præter ſexcentos Anglos permulti Americani in poteſtatem victoris venerunt . Americanis omnibus conceſſa libertas eſt . Nam cum paullo plus trecentis Hiſpani eſſent , tanto numero captivorum non impediri modo , ſed ſibi ipſis timendum cenſebant : valuitque id ipſum inter barbaras eas gentes ad conciliandam Hiſpanis clementiæ famam . Hac victoria longe , lateque prolata dominatio Hiſpanorum eſt Floridam verſus, & Canadianam regionem . Et in continenti Mexicana circa Hondurianum ſinum vario eventu dimicatum eſt . Betancurtus Yucatanis Prætor finitima Peninſulæ loca pervagatus armis , expulit inde pleraſque Britannorum manus ; quæ provinciam infederant , demolituſque permulta eorum negotiis, quæſtibuſque exercendis ædificia , quæ ſibi more militarium receptaculorum fecerant ; unde non

mo-

modo armatas militum manus emittebant, infeſtabantque Hiſpanos accolas; ſed finitimis quoque gentibus arma ſuppeditando, ab Hiſpanica dominatione avertebant: ità ut novum velut imperium in Hiſpano ſolo adepti eſſe viderentur. Ejectis itaque Peninſula Anglis, viciniſque circa locis magna pars in Jamaicam ſe receperunt; ex qua inſula Darlimplis, & Luttrel valido cum robore navium, firmaque admodum armatorum manu in Moſquittorum regionem trajecerunt. Plures deinde, nec memorabiles pugnæ fuerunt inter utrumque populum. Illud certe inſigne in hac expeditione Anglorum fuit; S. Ferdinandi Omoæ arcem, urbemque magnis ab Hiſpana gente impenſis extructas in Britannorum poteſtatem veniſſe. Truxillum (ad promontorium Hondurianum urbs eſt) copias contraxerant ad expeditionem illam Angli, profectique navibus ad occidentem tertio die in portu quodam ſubſtiterunt (portus Cavallo ei nomen eſt). Hinc ad oppugnandam urbem copias Darlimplis ducit. Expediti primo milites ad collem, qui arci, urbique imminebat, occupandum proceſſerunt:

col-

colle deinde capto, urbem ſimul, arcemque quatere tormentis cœperunt: & a mari quoque Hiſpani oppugnabantur. Intenti maxime Hiſpani ad navium, colliſque operum conatus eludendos muri alicujus partem neglexerunt. Hoc ubi ſolers animadvertit hoſtis, eo majorem belli vim, & conſiliorum convertit. Et forte inceptum ſilva munitionibus murorum proxima tegebat; quo progredi Darlimplis copias ſuas jubet. Fama eſt ex navalibus ſociis quoſdam, qui terreſtri ſe exercitui immiſcuerant, primos murum ſcandiſſe: exceptantes deinde alii alios in murum extulerunt, donec omnia brevi armatis compleverunt. Pauci præſidiarii, qui eum locum cuſtodiebant, aliquandiu victoriam hoſti morati, numero tandem ſuperati ſunt. Tum urbs, atque arx æquis conditionibus Anglis deduntur. Ita regionis ejus poſſeſſio Britannis confirmata eſt. Hæc ſane inter Galliſpanos, Angloſque in America hoc anno geſta ſunt. Sed majori longe mole rerum in Europa dimicatum eſt: ex cujus narratione belli ne oratio noſtra diverteret, explicitis prius Americanis rebus, non in-

intermiſſo tandem Europearum curſu integre narraturi ſumus.

CAPUT VII.

Gallifpani magno coacto numero navium, militumque in Britanniam deſcenſuri Anglicam extrahere claſſem in pugnam ſtudent: ſed fruſtra: adverſis deinde tempeſtatibus, & inopia cibariorum coguntur, infecta re, ſuos in portus redire. Galliſpanorum conſiliorum ratio explanatur, cauſſæque improſperæ expeditionis.

INdictum jam utrinque bellum erat; cum Galliſpani majori multo, quam unquam alias, comparata claſſe, Britanniam ipſam imperii ſedem aggredi comparaverunt. Deliberantium namque in conſiliis hæc Miniſtrorum ſententia fuerat, qui victoriam differri, interpellarive credebant diſpendioſo, ac maritimo bello, in quo plus fortuna, quam conſilia valerent: optatum ſemper Anglis, & plerumque proſperum fuiſſe; quia

quia plus ibi diſciplinæ navalis, quam virium opus eſſet. *Mari circumcluſos eos, e mari quoque genitos videri; pleroſque haud dubie eorum inter navigationes mari natos vagitibus conſonuiſſe fluctibus, & fragoribus tempeſtatum; mari deinde altos, educatoſque præ cæteris maritima amare, & callere bella; quod inde vires eorum, inde fortuna eſſet. Hiſpanos contra, Galloſque terreſtribus præſtare viribus, auxiliiſque, ſtatario bello aptiores, quam maritimo, & vago mille caſibus, & incertis eventibus objecto. Levem concurſatorem Anglum inter anguſtos inſulæ ſuæ terminos claudendum eſſe; ſi in viſceribus hæreant belli tela, perfervidam gentis indolem refrenari, & ſiſti poſſe. Tum vel ſuccumbat armis, vel æquis legibus contentus ſponte ſe abdicet imperio maris, & commercii.* Neque abhorrebat a ratione ſententia; neque ego de natura belli hujus, & gentium judicans, video, cur declinare exitium ſuum Britanni potuiſſent; ſi fortuna huic bello non inſeruiſſet ſe, cauſſamque imbecillioris partis non ſuſcepiſſet. Nam ſi tanto exercitu Galliſpani, quantum contraxiſſe

C con-

conſtat, in Britanniam trajeciſſent, noviſque ſemper copiis, quæ ad manum erant; provinciam inundaſſent; quibus conſiliis, aut opibus reſiſti tantis armorum fluctibus potuiſſet? Profecto ſi Britannicas extimemus vires; externæ hæ potius ſunt, & induſtria quæſitæ, quam gentis propriæ. Cujuſque enim populi vires reputantur ex numero accolarum, divitiiſque provinciarum, & frugum proprietatibus; quibus comparatis, nulli dubium eſt, quin nec Galliæ, neque Hiſpaniæ ullo modo conferri Britannia poſſit. Hinc & majora, & certiora illis præſidia ſunt, quam Angliæ; quæ tamen peritia maris, & infinito rerum omnium commercio novas ſibi vires adjunxit, quibus non æquaſſe modo, ſed præſtitiſſe etiam Galliſpanorum opibus noſtra ætate vidimus. Sed tranſitu Galliſpanorum in inſulam externa interclusa auxilia forent; abſciſſiſque velut a capite membris, Indiarum quoque divitiis caruiſſet; unde tot, tantaſque excitare claſſes, tot mercenarias alere copias potuit. Domeſticis tum, nec ſuffecturis tanto bello viribus pugnatura Britannia fuiſſet. Ad-

de

de quod validis nuda arcibus ; terreſtribuſque exhauſta militibus, juventute ablegata in claſſes, & in Colonias Indiarum, opportuniorem ſe Gallifpanis exercitibus præbuiſſet, quam unquam aliis vel Danis, Germaniſque, aut Romanis, aut Gallis, a quibus ſæpe populatam, interdum etiam ſubactam fuiſſe legimus: Si quis ergo hoc belli conſilium minus prudenter a Galliſpanis ſuſceptum eſſe dixerit, inepte profecto dixerit, rerum eventus, quam rationes probare ſolitus. Nec illis exempla deerant, quibus conſtat, magna ſæpe imperia nequicquam tentata extrinſecus, cum in caput, atque arcem virium invaſum eſt, defeciſſe ſtatim, vel etiam ſuccubuiſſe. Nunc ad hiſtoriam redeamus. Poſtquam igitur majorem belli vim in Britanniæ continentem transferri decretum eſt, Hiſpani ſimul, Gallique, velut æmulatione propoſita, enixe præparare quæ ad conſilia exequenda neceſſaria videbantur. Horrea deinde bellicorum omnium apparatuum facti ſunt Neuſtriæ, & Britanniæ minoris portus; quo navalium materiarum vis ingens congeſta eſt, cibariorumque,

ne milites in expeditione alimenta deficerent , & armorum omnis generis ; extructæque plana carina naves quamplurimæ , ut difficilioribus quoque Britanniæ oris appulſus eſſet . Tanta demum opulentia rerum omnium adornatum bellum eſt ; ut & quanta duorum ſociorum Regum potentia , & quæ ſpes iisdem eſſet, facile cognoſceretur . Nec interim mediterraneum mare neglectum ab Hiſpanis eſt , quod claſſibus ſuis velut obſeſſum tenebant : eodemque tempore terra, marique Gibraltariam oppugnabant : & valida actuariarum navium claſſe Mauris piratis interdicebatur mare : & ſi quæ Gibraltariam auxilia importarentur, intercipiebant . Sed quæ in Britanniam trajectura claſſis erat, ſupra centum majoris formæ navibus conſtabat , præter onerarias , tormentorum infinitum pene numerum portantibus, & prævalidas militum legiones . Memorabant plerique Philippi II. claſſem adverſus hos ipſos Britannos coactam , ſed multo hac inferiorem illam judicabant, quæ tamen, niſi venti, fluctuſque pro Anglis pugnaſſent, abſorptura imperium eorum , & fortunas fuiſ-

fuiſſet. Media pars navium Hiſpanæ; media pars Gallæ, mixtique ex utroque populo multi nobiles Centuriones, ut concordiores in incepto viderentur: quatuor quoque duces erant: duo Galli, duo Hiſpani. Hiſpani Prætores Michael Gaſton, & Aloyſius Cordova; Galli Orvillerii Comes, & Guichen. Serius tamen, quam oportebat, ex Caronii portu Hiſpana claſſis egreſſa Gallicæ adjungitur: idibuſque tandem Auguſti menſis Britannicum fretum ingreſſi Galliſpani omnia adventus ſui fama, & terrore compleverunt. Prætor Britannicæ claſſis Hardì, qui cum quadraginta navibus Plimuthi in portu ſtabat, non auſus conſpectum hoſtium adire, in hoc maxime intentus erat, ut onerarias ex utraque India redeuntes ſuorum claſſes cum ingentibus opibus, mercibuſque ab hoſte defenderet: & hic invicem animo jam tot ſibi divitias deſtinans undique ſpeculatoriarum navium ope circumſpectare, ut intercipere poſſet. Deſcenſionem interim Galliſpani in Britanniam parantes Prætorem Anglum extrahere in prælium ſtudebant, ut cum tanto viribus ſuperiores eſſent;

certa victoria potirentur. Sed vi tempeſtatum abrepta claſſis in Oceanum, pugnæ ſpem in præſentiarum ademit. Et Hardì, eductis ex Plimuthi ſinu navibus, Silurum inſulas petiit, ut & portus tutos ad receptum haberet, & venientes ab India naves tutari poſſet. Tempeſtate ſedata Galliſpani Britannam intercludere claſſem ab lateribus ſtatuunt, ut portubus prohiberetur Angliæ, & a fronte, ne ſubterfugere certamen poſſet. Hæc dum Galliſpani molirentur, prætor Anglicæ claſſis, ne cum certa pernicie ſuorum ſibi pugnandum eſſet, ſecundo vento uſus in ſinum Vindelis Peninſulæ recepit ſe, quo tamen alacriter eum Galliſpani perſecuti ſunt. Et proxima jam apparebat pugnæ, victoriæque ſpes Galliſpanis; cum ſors & tantarum virium fiduciam eluſit, Britannoſque imminenti jam periculo expedivit. Ignis editur a tribus navibus Gallorum ſignificantibus onerariarum navium ab India adventum in Britanniam, ad cujus opinionem prædæ (ingentes enim divitias portari fama erat) verſa omnis Galliſpanorum vis, & cupiditas. Inſecuti ali-

quan-

Google

quandiu onerariarum illam navium claſſem, ut tamen in conſpectu eam habuerunt, Batavæ ſocietatis naves eſſe cognoverunt ab Smyrna venientes. Tum vero dolor, & ira exarſit; ſuamque credulitatem incuſabant. Tertio autem Britanniæ litus repetentes progredi Plimuthum, & expetitam navalis pugnæ ſpem urgere, nec deeſſe occaſioni ſtatuunt. Sed raro expeditiones, quæ multis moliminibus, multorumque opera indigent, ad optatum exitum pervenerunt. Inopia cibariorum premebatur claſſis, quod vectoriæ naves in Galliæ portubus relictæ, ut oneribus perfectis claſſem ſequerentur, adverſis ventis retinebantur: nec ei neceſſitati ſuppleri aliquo modo, aut obſiſti poterat: lues præterea late per capita Gallorum vagata vel abſumebat corpora; vel inepta ad belli munia faciebat. Fama eſt paucos admodum Hiſpanos ægrotaſſe corpore validiores, firmioreſque ad incommoda belli patientia naturali. Tot afflictos malis æquinoctium quoque cogebat eos Britannicis diſcedere litoribus, quod tempeſtatibus eo tempore maxime infeſtari ſolent. Ita tanti belli appara-

tus, ſortis arbitrio evaneſcere viſus eſt. Naves inde partim in Galliæ portus, partim in Hiſpaniam magno cum gentis dolore, & non ſine aliquorum invidia ſunt reductæ. Fortaſſe quis judicium hic Scriptoris quærat, cauſſaſque, cur tantorum conſiliorum, & virium expeditionem proſperi ſucceſſus non ſint ſecuti. Ego in tanta varietate rerum anceps potius videri velim, qnam temerariam ſententiam tuliſſe. Duas tamen maxime res inceptui nocuiſſe crediderim; nimiam Galliſpanorum cunctationem: nam extrema æſtate portubus profecti, tempeſtuoſiſſimum Autumni tempus coacti ſunt adire, quo ſiſtere in Oceano non potuerunt. Certe hoc ipſum cauſſati, excuſatique incommodum Galliſpani ſunt, & inopiam cibariorum, quam neceſſaria lues ſecuta eſt. Sed his tamen malis celeritate ipſa conficiendæ rei ſuccurri potuiſſe video. Nam Britannia abunde alimentis ſuppeditandis ſuffeciſſet, ſi in inſulam trajeciſſent: & mature deinde Oceanum inſuperabilem viribus humanis hoſtem ſubterfugiſſent: Navalis deinde pugnæ, prædæque avidiores fuiſſe viſi

ſunt

ſunt, quam res poſcebat; qua cupiditate avocaſſe quodammodo ab inceptu ſeſe, & occaſionem rei bene gerendæ poſtmodum amiſiſſe. Sed hæc veriſimiliora fortaſſe, quam vera ſunt, tempuſque, & ſolertia ſcriptorum aperient quæ obſcura nunc, & obvoluta integumentis apparent. Illud certe Hiſtoriæ munus eſt admonere bellorum duces, quod diligentia potius, & celeritate maximæ perficiantur res, quam multitudine copiarum: ſolertiam quoque & adjuvare belli vires, & præripere ſæpe mercedem virtutis, potentiæque; & has non raro ſeneſcere, & infirmari videmus dilatione conſiliorum. Quo major hæc Galliſpanorum calamitas, eo gratius fortunæ beneficium Britannis fuit, publicæque lætitiæ ſpecies ubiqne in inſula obverſabatur, emerſis ab illa periculi procella animis. Apparebat autem non Anglis modo, & Galliſpanis, ſed cunctis etiam de belli ratione extimantibus, ubi mari, & claſſibus dimicandum eſſet, ſuperiores Galliſpanorum opes fortuna, ſolertiaque ſua penſaturos Britannos eſſe, & in longum protractum iri bellum, quod facile tranſitu uno in

An-

Angliam exigi potuiſſet. Sed externarum aliarum rerum quoque acceſſit cura, quæ Gallorum animos verſabat; quod & Aſiæ, & Americæ rebus intenti ſuccurri iiſdem volebant.

CAPUT VIII.

Ad nuntium amiſſi Pondicherii magnus in Gallia mœror. Aſiatici tamen belli conſilio in aliud tempus dilato, ſubſidia in Americam Hiſpanis, & fœderatis Coloniis decernuntur.

POndicherii fama capti ut in Galliam pervenit, duplici remordere cœpit dolore animos; non amiſſi modo quæſtus, qui maximus erat, ſed negligentiæ, vel cunctationis ſociorum, & claſſis, quæ Trinquemalæ in portu ſtabat; qui ſi opportunum urbi auxilium tuliſſent; nequaquam in poteſtatem hoſtium venturam fuiſſe ſatis conſtabat. Sed querelarum nullus fructus erat: ſatiuſque ducebant vel aliis in locis jacturam penſare, ſi fors tuliſſet, vel repetere armis, quæ

ami-

amiſiſſent: Non minoris tamen momenti res Gallorum opes in Americam vocabant; & Hiſpanorum Rex veteri ex fœdere auxilia repoſcebat, cui deeſſe non modo turpe, ſed periculoſum putabant eſſe. Rejecta igitur Aſiaticarum rerum mentione, de Americano bello conſuli cœptum; decretumque, ut validæ navium claſſes, militumque manus eò mitterentur; ut Galli Prætores, diviſis copiis, & fœderatis Coloniis auxilium ferrent; & Hiſpanis juncti Jamaicam invaderent; Gallicaſque Antillas eodem tempore tuerentur; nec prætermitterent, ſi eventus belli ſineret, in Anglicanas inſulas transferre bellum. Horum fama auxiliorum fœderatos Colonos recreavit; quibus per idem tempus belli ſors exitium parare videbatur. Nam & a victore Anglo acrius, & multifariam premebantur; & accepta ad Savanaaceam clade, interiora provinciarum hoſtibus patefacta cernebant. Eſtenghius enim poſtquam in continentem Britannicam reductæ vires Anglorum ſunt, ex Martinica triginta cum navibus profectus exitu ferme anni hujus Savanaaccam perrexit

ire,

ire, urbem oppugnaturus. Precibus namque Colonorum arceſſitus erat ad eam rem exequendam, qui totius expeditionis ſpem facilem perficiendæ dabant; credebantque, Savanaacca expugnata, totius Georgiæ dominatione expulſum iri Anglos. Savanaaccum ingreſſus flumen Eſtenghius paullisper in oſtio moratus, dum deſcenſionem parat loco tuto, atque opportuno; trajectis deinde copiis ad oppugnandam urbem ducit. Hæc ſitu ſuo valida, nam majorem partem amnis circumluit ſtagnantis inſtar paludis, turres quoque firmiſſimas habet, aliaſque circa munitiones: & præerat urbi Prevoſtius vir impiger, claræque virtutis. Angli quod maximum belli præſidium in eo poſuerant, ne urbs finitimarum provinciarum velut arx caperetur, naves, quas in flumine habebant, incenderunt; tormenta, quæ in iis erant, in muros deportavere; quibus egregie adverſus opera obſidentium uſi ſunt. Et jam multis ſane diebus in oppugnatione abſumtis, cum parum profeciſſent Galli, tædio victi longæ moræ munitiones aggredi parant, & vi, & ferro penetrare

in

in turres. Eſtenghius ſuos ad pugnam adhortatus ſe ſequi jubet, prægreſſusque aliquanto milites primus in prælium vadit: ſtrenue deinde dimicans accepto vulnere ſuos laborantes parumper cedere jubet, ac veluti reſumpto ſpiritu mox ad inſtaurandum prælium ducit. Sed intoleranda Anglorum vis erat. Dum munitiones tamen Galli ſcandere, & viam ſibi facere conantur, alii detruduntur ab hoſte, alii vulnerantur, in quibus graviter Præfectus ipſe, quem ſanguine oppletum, ac langueſcentem pugna ſui abſtulerunt. Remiſere tum Galli animos ſimul, & prælium: ordinibus tamen, ut potuit, ſervatis, parvaque admodum trepidatione agminis ceſſere in naves. Nec moverunt ſe uſquam hoſtes. Ita cum bona pace, magna quamvis calamitate accepta, Savanaacca exceſſerunt. Duo ferme Colonorum, Gallorumque millia in ea oppugnatione ceciderunt: & ſua clades eo Coloniis triſtior, quod militibus eo tempore deficiebant. Eſtenghio tamen Georgia decedenti Anglarum quarundam navium prædam ſors obtulit; quas ille indeptus, Gallicarum reliquit

præ-

Digitized by Google

præſidium Antillarum decem bellicas naves; cum reliquis ipſe, & cum agmine vectoriarum navium in Europam eſt profectus.

CAPUT IX.

1780.

Hiſpanis Gibraltariam obſidentibus, validum Angli obſeſſæ urbi auxilium decernunt. Rodneys cum claſſe miſſus Hiſpanas aliquot naves aggreditur: memorabilis pugnæ deſcriptio.

Gibraltaria urbs, ut ante dictum eſt, per idem tempus obſidebatur ab Hiſpanis, erantque in exercitu permulti voluntarii nobiles viri, qui ex Italia, Galliaque & Germania convenerant ad famam tantæ obſidionis; ſumma omnium viginti duo millia armatorum erant, & copiarum Imperator Alvarez ex illuſtri genere vir, tribunique fere omnes ex flore veteranarum legionum. Prævalido huic exercitui omnia ceſſura videbantur: *parvam urbem mediocri præſidio defenſam undique circumclusam quomodo obſtituram tanto numero militum, & Hiſpanorum? commeatibus inſuper tum bellicis, tum ad alendos Cives*

ves militeſque neceſſariis indigentem, etſi cætera invicta ſint, brevi fame, aliiſque neceſſitatibus ad deditionem redactum iri. Hæc fere omnium ſententia erat; ſed urbs ſitu ſuo præter modum valida, nam in rupe poſita eſt undique prærupta tormentorum, cuniculorumque vim eludebat: portus autem, cui vim inferri poſſe apparebat, tantis operibus aliis ſuper alia munitus erat; ut æque pene inexpugnabilis eſſet. Et imperium urbis Eliottus habebat ſtrenuæ patientiſque virtutis vir, & præſidiarii milites veterani fere omnes ex Anglia, Germaniaque. Videbatur tamen oppugnatio tardius progredi, quam par eſſet; quod navibus Hiſpanicis fretum claudebatur, excludebanturque obſeſſi omni ſpe ab Anglia auxiliorum. Verum & ex Africa vectoriæ nonnullæ naves diligentiam Hiſpanorum eludentes, deferebantur in Gibraltariæ ſinum: & ab Europa plerique mercatores capti magnitudine lucri quotidiana prope ſubvectione cibaria, atque arma portabant; quarum, plerequæ navium etſi ab Hiſpanis capiebantur; non minuebant tamen aviditatem hominum, extra-

extrahebantque ſpem deditionis. Anguſtiora omnia obſeſſis decretum Hiſpanici Conſilii, & diligentia Antonii Barcelò actuariarum navium Prætoris opportune fecit, cui delegata eſt cuſtodia mediterranei maris. Cum raro igitur, & magno cum periculo mercatorum ſubvectiones fierent; non aliunde, quam ab Anglia præſens auxilium expectabatur. Et in Concilio Anglicorum miniſtrorum communi ſententia decretum eſt; *ut benemerito de patria præſidio, optimis civibus maturius auxilium ferretur. Urbem Britannici imperii in mediterraneo mari arcem, atque emporium omni ope defendendam eſſe; nuſquam alibi poni pecuniam melius, quam in tutela graviſſimæ civitatis, fortiſſimorum quoque militum, quorum ſalus non auro, & armis ſolum, ſed ſanguine redimenda eſſet. Si ex ærario depromi pecunia non poſſet, conferendum a ſingulis in medium eſſe unde illis ſuccurreretur.* Et perfervidi plerumque in capeſſundis, perficiendiſque conſiliis Angli ſunt, quibus publica fides & gloria agi videbatur, ſi Gibraltariam, ſicuti Saguntum derelictum a Romanis,

impu-

impune oppugnari ; ac capi ſinerent. Tantæ expeditionis cura Rodney demandata eſt ſtrenuo, ac veteri claſſium Britannarum Prætori, & fatali velut adverſus Galliſpanos duci. Multi eum nobiles viri in expeditione ſecuti ſunt, in quibus Guglielmus Angli Regis filius cupidus navalis ſcientiæ ſub tanto magiſtro ponere tirocinium. Profectus ille ex portu magno haud modica cum expectatione hominum medio fere curſu quatuor bellicas Hiſpanorum naves, & pleraſque onerarias cepit, quæ veſtimenta militibus, & navales materias in Americam portabant. Hoc velut omen totius expeditionis fuit: & neſcio an cuilibet noſtræ ætatis claſſium duci armorum ſors ſecundior, quam huic fuerit. Ad famam venientis Rodney Hiſpanæ claſſes, & quæ Breſtiæ, & quæ Gadium in portu erat juſſæ a Carolo Rege ſunt obviam ire hoſti. Sed a Breſtia, nondum ſatis inſtructis navibus egredi Michael Gaſton non potuit: & a Gadibus cum Aloyſius Cordova mature ſolviſſet, ut Britanno certamen ferret, contrariis agitata ventis ita claſſis ejus eſt; ut iterum coactus ſit

cum navibus intrare Gades, quo tempore cum quatuor, & viginti majoribus navibus Rodneys Gibraltariam appropinquavit. Haud procul a S. Mariæ portu ex alto conſpicatus eſt quaſdam Hiſpanas naves: (novem numero erant majoris formæ, & actuariæ quatuor, ducebatque Langara ſtrenuæ indolis vir, germanæque virtutis) Tempeſtatibus namque vexatæ cum ſuum tenere curſum non potuiſſent, forte vagabantur Oceano. Admonitus Langara de adventu hoſtium exiſtimavit in preſentia dimicandum ſibi potius eſſe, quam in conſpectu hoſtium portus alicujus aditum tentare. Adhibito Centurionum ſuorum Concilio, priuſquam eos ſententiam rogaret, talem ipſe orationem exorſus eſt; *Si aliquam ſupervenientis hoſtis ſignificationem ante habere potuiſſem, Commilitones mei, prudentioris nunc, quam audacioris ſententiæ auctor vobis eſſem. Quippe & ſalva exiſtimatione noſtra imparem declinare pugnam potuiſſemus, & militum noſtrorum virtutem meliori tempori reſervare. Nunc vero cum nulla nobis, niſi vel difficilis victoriæ, vel periculoſæ fugæ optio detur; non video cur non*

pro-

proximiora virtuti conſilia, quam timiditati delecturi ſimus; præſertim cum audaciæ, virtutique non raro homines, & fortuna faverint; timiditati nec homines unquam, nec fortuna pepercerit. Dein reputans ipſe mecum ſpectatam Hiſpanorum virtutem, atque indolem, ſatis intelligo, cum ſtrenuos illi duces habent, quales vos eſſe video, nec numerum formidare hoſtium ſolere eos, nec victoriæ itidem, quam gloriæ avidiores eſſe. Quamobrem ſi tanto viribus ſuperiorem hoſtem ſuperare non ſit conceſſum; at repugnare fortiter poterimus, & naves ita fœdare eorum, ut majus ipſi accipiant, quam inferant incommodum. Quod ſi ita ſit, ſatis utilitati patriæ proviſum arbitror, ſatis æquatam ſortem armorum eſſe. Nobis vero optime conſultum erit, ſi gloriæ, famæque noſtræ; ſi, qualiſcumque exitus pugnæ fuerit, memoriæ noſtræ conſuluerimus. Sed tamen vobis victoriæ ſpem non adimo, cum ita loquor virtutis veſtræ potius, quam fortis memor. Nam & contemptus ſæpe hoſtis, & vana ſæpe formido victoriam eripuit: nec ſum neſcius multa contingere poſſe maritimis præſertim præliis, quæ ſuperiores vires eludant, infirmioribus ſalu-

D 2 *tis,*

tis, & *ſolertiæ aditum aperiant*. *Nec obliterata memoria pugnæ eſt*, *victoriæque noſtræ de hoc ipſo ſuperbo hoſte partæ nobis adoleſcentibus*; *cum Philippi Regis auſpiciis Navarrus Prætor duodecim naves Hiſpanas triginta* & *quatuor Britannicis opponere non dubitavit*; *laceratasque eaſdem*, & *pene depreſſas diſcedere coegit Mediterraneo mari*, *liberumque Hiſpanis relinquere tranſitum in Italiam*. *Præſtat equidem quodcumque pugnæ potius*, *quam turpe fugæ periculum adire*: *nam in pugna ſalutis aliqua*, *magna gloriæ ſpes eſt*: *ſi declinare pugnam*, & *recipere nos in tutum velimus*, *quod fugaciter certe fecerimus*, & *cum tumultu*, & *trepidatione in tanta propinquitate hoſtium*, *gloriam nullam*, *majus ineſſe periculum video*: & *hoc ipſum noſtris adimat*, *hoſtibus vero addat audaciam*. *Hæc*, *quæ vobis proponenda videbantur*, *paucis expoſui*, *nec meæ*, *nec ullius alterius opinionis tenax*, *niſi quæ rationi ſit conſentanea*. *Si meliorem vos ſententiam habetis*, *ſequi non recuſabo*. Hæc apud ſuos ille: poſtquam vero omnes ad unum intellexit eadem pugnæ flagrare cupiditate, inſtrui ad certamen naves jubet, adventumque ope-

pe-

periri hoſtium. Britannus vero ut tantam ſibi prædam objectam vidit, non deeſſe parti ſuæ ſtatuit, ductiſque navium cornibus circumvenire Hiſpanam aciem. Et pugna ultra quam credibile eſt, atrox, & diuturna fuit. Hiſpanis deſperatio victoriæ augebat animos. Navis una eorum (S. Dominicum vocabant) cum alia primum hoſtium navi congreſſa, trium deinde ſimul coacta eſt impreſſionem ſuſtinere : nihilominus non tormentorum undique circumſtantium velut procellæ, non ſuperioribus tanto Britannorum viribus cedebat ; & admiratione virtutis ſuæ deſixos tenebat hoſtes. Cum nulla vi vel deprimi, vel capi poſſit, Hiſpanorum pugnæ finem caſus fecit. Sulphureus pulvis ignem forte concepit in Hiſpana navi, momentoque temporis horrendo cum fragore aeris, flamma, fumoque admixtis illam demerſit. Et non minori ardore cum militibus ſuis Langara pugnabat ; initio pugnæ Anglicam navem adortus fœde laceravit; quatuor deinde ſupervenientibus aliis, omnium vim ſtrenue accipere, & repugnare videbatur. Raro alias pertinacius

in tanta virium inæqualitate dimicatum eſt: & ſatis conſtat duobus eum vulneribus acceptis, prælio tamen non exceſſiſſe, tertio pene exanimatum manibus ſuorum pugnæ ſubtractum. Et jam detritis malis, antenniſque navis illa, quaſſataque non fluctibus modo, qui tum forte graſſabantur, ſed ictibus tormentorum multis locis, compagibuſque aquam accipiebat. Tum abſciſa omni ſpe ſalutis, Hiſpani ſeſe dediderunt. Nec diſſimili ſorte aliæ quoque naves Hiſpanæ cum ternis, quaterniſque hoſtium navibus congreſſæ diu imparem pugnam ſuſtinuerunt. Septem captæ a victoribus ſunt in hoc memorabili prælio, cujus præcipuum Angli fructum, Hiſpani gloriam conſecuti ſunt. Poſt opulentam victoriam Angli captivorum omnium, præſertim ſauciorum curam habuerunt. Langara, cum in prætoriam navem Hiſpanorum Guglielmus tranſcendiſſet, ſalutaſſe primum filium Regis; ei deinde victoriam gratulans vulgato more tradentium ſe ſe porrexiſſe enſem dicitur, quo cingebatur. Sed Guglielmus; *ne ego tecum*, iniquit, *macte virtute vir*, *inique agerem*,

rem, ſi quod cuilibet victo duci tribuitur, hoc tibi non concederem; enſemque ſibi, & Carolo Regi retinere juſſit: maximis deinde, ſed non immeritis oneratum laudibus dimiſit; omnique deinde benignitate, atque indulgentia captivi Hiſpani habiti propter egregiam indolem virtutis: adeo hoſtium quoque verum decoris, gloriæque ſpecimen animos conciliat! Reliquæ tamen claſſis Hiſpanæ naves ſævientibus adhuc ventis, fluctibuſque, cum certum ſequi curſum non poſſent, qua cuique ſors aditum dedit, ad litora Peninſulæ delatæ ſunt. Fama deinde traditur parvi momenti res, ſed quæ pulcherrimum caſuum humanorum exemplum præbet. Inter has naves duæ captæ ab Anglis erant, in quas permulti militibus permixti nautæ Britanni deſierant in præſidium. Hæ non ſuſtinentes impetum æſtuantis Oceani coactæ ſunt ad Hiſpaniæ litus appellere. Mutata hic repente conditione, victi ex victoribus, captivique Britanni in Hiſpania retenti ſunt, eadem tamen benevolentia, quam Angli Hiſpanis exhibuerant. Ita duo florentiſſimi populi non

ferro, vitaque de imperio magis, quam virtute, & humanitate inter ſe de gloria certare videbantur.

CA-

CAPUT X.

Gibraltariæ ſinum Rodneys cum navibus ingreſſus, milites, commeatuſque alios, quos ſecum advexerat, exponit: Americam inde proficiſcitur. Digbyus pro Prætore Britannicæ claſſis Galliſpanas prædas in Angliam deducit. Batavorum motus, & concilia, ingruentiſque ab Anglia belli ratio explicatur.

SEd jam victor Rodneys navium captarum agmen agens victoriæ ſuæ fructum oculis percipiebat donec Gibraltariam pervenit. Ibi clamore militum, civiumque patriæ parentem appellantium omni celebritate exceptum fuiſſe; & ingredi urbem juſſum, quam ſua virtute, ſuo conſilio ſervaſſet; aſcendiſſe deinde montem urbi imminentem ſtipatum caterva tribunorum; gratulantibuſque ibidem victoriam ſuam epulas ferunt inſtruxiſſe. Confirmato deinde urbis, præſidiique ſtatu, initoque cum Africanis fœdere, ut opportunis commeatibus Gibraltaria juvaretur, quibus indigebat,

pro-

profecturus ipſe in Americam, ad quam pleraſque bellicas naves præmiſerat cum magno vectoriarum numero, reliquit ad cuſtodiam mediterranei maris naves aliquot ſub auſpiciis Eliotti (propinquus hic Præfecti urbis erat) claſſemque, cujus ipſe imperium habuerat, Digby attribuit; juſſitque trajicere in Britanniam. Profecto igitur in Americam Rodney, Digbyus Angliam repetens quatuor Gallicas naves potitus eſt; poſtquam in Britanniam pervenit, magna populorum lætitia affecit animos aſpectu opulentiſſimæ prædæ: nam & Hiſpanas bellicas, vectoriaſque naves a Rodney captas ſecum duxerat, in quibus armorum, & navalium materiarum magna vis erat, & ingens pecuniæ numerus, quæ omnia in diſpendioſo illo bello gratiora Britannis fuere. Et revera non utilis modo Anglis victoria illa, ſed peropportuna fuit ad calamitates belli removendas, quæ procul dubio imminere videbantur. Nam & importato Gibraltariam ſubſidio, ſatis apparebat tantæ urbis ſecuritati proviſum eſſe, & capta onerariarum Hiſpanarum navium claſſe, a quibus in Americam

au-

auxilia tranſvehebantur, ſpes Galliſpanis præciſa eſt Jamaicam tentandi, ad quam inſulam præcipue occupandam totius in America belli vires, & conſilia incumbebant. Tanta inſuper navium, armorumque captorum copia, & pecuniæ mirifice rem maritimam Britannorum juvit, ita ut fama fuerit non minus triginta bellicas naves inſtruxiſſe Anglos ſpoliis Galliſpanorum. Novus interim oriebatur hoſtis Britannico imperio, minime tamen natura ſua timendus. Batavorum Reſpublica inter utrumque populum poſita, ut pace, & commercio gauderet, neutri parti adjungere arma volebat. Sanum profecto conſilium, ſi ad proximos belli tumultus tranquillitas obtineri poſſet. Sed velut peſtis, & incendii, ita & belli conditio eſt longe, lateque vim ſuam proferentium, donec proxima quæque, & remotiora invadant. Angli ſubſidia, quæ debebantur ex fœdere, a Batavis petebant; querebanturque itidem navalium eos materiarum Gallis ſubminiſtrare auxilia, quod contra fœderum jus eſſet. Galli contra nec privari ſubſidiis volebant; & ſi mi-

litum

litum auxilia Anglis Batavi miſiſſent, ſe pro hoſtibus eos habituros. Anceps deliberatio erat, dum alii Gallorum, alii Britannorum parti ſtuderent. Major Batavorum numerus, qui ex mercatoribus conflatur, gens quæſtui dedita bellum deteſtabatur. Sed id ipſum procul dubio a finitima Gallia venturum in interiora Belgii, ſi quæ Britanni poſtulabant, auxilia ſuppeditarentur, ajebant. Duæ in primìs urbes adhærere Galliæ, & auctoritate ſua obſtare videbantur, ne quid contra decerneretur. Hæ Amſtelodamus, & Arlem erant, quibus gratificari in præſentia Ludovicus voluit; remiſitque iiſdem partem vectigalium, decumarumque, & portoriorum, quæ ſolvi ſingulis ſubvectionibus ſolebant; ut Batavorum cum Gallis commercium intentius exerceretur. Angli interim quotidianis prope prædis maritimas Batavorum opes populabantur, quod non remitterent navalia auxilia Gallis ferre; nec illi Anglorum viribus obſiſtere maritimis nudati opibus diuturna pace, nec querelis, aut gratia propulſare injurias valebant. Senatus tandem Batavorum & crebris injuriis exa-

exaſperatus, & defatigatus querelis mercatorum decrevit, ut quinquaginta duæ naves majoris, minoriſque formæ bellicæ inſtituerentur, quibus protegi commercium, & inceptis Anglorum obſiſti poſſet: timebatur enim Aſiaticis Coloniis divitiarum omnium, merciumque horreis populo Batavorum. Sed hæc, ut in popularibus imperiis, ubi ſingulorum ſententiæ plerumque diſcrepantes ſalutaria conſilia diſtinent, ſegniter, otioſeque peragebantur: apparebatque Britannis pace utilius videri bellum, quando cum imparatis hoſtibus gerendum eſſet, opimam potius prædam, quam periculum oſtentantibus. Hæc ſane cauſſa erat, cur Angli ſeverius cum Batavis agerent, occaſionemque inferendi belli non aſpernarentur.

CAP.

CAPUT XI.

Carleſtonium ab Anglis expugnatur, & multa cum Americanis prælia proſpere fiunt. Clintonius, advocato gentis concilio, multa de Republica, & de reſtabilienda pace diſſerit; ſimul ad continuandum bellum auxilia expoſtulat. Fit Senatus-Conſultum, bellumque cum Americanis decernitur.

1780.

PRincipio anni hujus Carleſtonium urbs, quam ſuperiore anno nequicquam Angli tentaverant, obſeſſa ab iiſdem eſt, atque expugnata. Clintonius enim Sandiocio ex portu profectus valida cum claſſe navium, & octo millibus armatorum in Georgiam trajecit, ac prope Savanaaccam conſedit: ibi auxiliis provincialium acceptis, Carleſtonium progreſſus, portum primo urbis egregia arte munitum, ſuperatis operibus, occupavit: urbem deinde, munitioneſque quatere tormentis cœpit. Maris, terræque aditus recipiendis auxiliis ut clauderet obſeſſis, copias opportune diſpo-

diſpoſuit; & Sullivanis inſulam, quam Americani turri, circumjectiſque operibus munierant, urbiſque erat obſeſſæ maximum præſidium, expugnare Arbutnottum jubet: & hic conceptæ de ſe ſpei non defuturus navium peropportune ſubſidio uſus eſt; ſcaphiſque militum ſatis validam manum trajecit in inſulam, neglectaque operum parte improviſo impetu potitus eſt: majorem tum armatorum numerum tranſportari in eam jubet, ſimul ad deditionem inſulanos invitat. Illi deplorata virium ſuarum fiducia, ſine mora ſeſe dediderunt. Et cura ſimul Verbſtero data eſt, ut cum delectis equitum turmis, firmiſque peditum cohortibus per omnem circa regionem vagaretur, ad excipienda ſi quæ a Coloniis ſubmitterentur in urbem auxilia; nam magna Colonorum, Gallorumque permixtorum comparari dicebantur. Hic pari virtute præditus, etſi ſciret ſuperiorem equitatu hoſtem eſſe, trajiciendoſque ſibi in conſpectu Americanorum nonnullos amnes eſſe, qui proximos urbi agros interfluunt; veteranorum tamen militum ſuorum virtuti confiſus omnia

ſin-

ſingulari felicitate perfecit : collatiſque pluries cum hoſte ſignis, pari fortuna disjecit. Interim obſeſſores, operibus perfectis, ad foſſæ munimen pervenerant: apparebatque, ſi aggrederentur, capi urbem poſſe. Tum Oppidani, quando nec ſuas ſibi ſuffecturas opes ad vim hoſtium repellendam credebant, nec aliunde auxilia expectare poterant, conditionibus ſtabilitis, urbem Anglis tradiderunt. Hac inſigni victoria potitus Clintonius perſequi reliquias belli ſtatuit in duabus Geogiæ, & Carolinæ provinciis: quod undique multitudo ad eum provincialium confluebat pacem poſcentium, ut antiqua ſibi jura, & patriæ tutela redderetur. Nec minus Carleſtonii oppidanos ſuæ vicis trepidos bono animo eſſe juſſit; obſecrantibuſque principibus eorum, ut veniam errori humano daret; *bene habet*, inquit ille; *quando vos ſceleris pœnitet, in gratiam vos patriæ recipio iterum non defecturos*. Hic illacrimare præ gaudio omnes, duciſque, & patriæ clementiam clamore extollere: quod ad confirmandos in obſequio, & fide animos maxime valuit. Interea dum hæc agebantur, rebus ex

vo-

voto fluentibus, & in Georgia, & in meridionali, atque ſeptentrionali Carolina hoſtes profligati ſunt; adeo, ut præter paucos earumdem provinciarum accolas, qui cauſſæ fœderatarum Coloniarum adhærebant, omnes in arbitrium redierint Britannicæ dominationis. Maxime rem adjuvit fama per eas gentes vulgata, quod fractæ tot, continuiſque cladibus rebellium opes eſſent; nulla præterea ſpes reſiſtendi invictis Anglorum viribus, & imperio. Nec rumores illi abſoni a veritate erant, redactis jam Americæ fœderatæ viribus ad ſex minus millia armatorum: abſumpta namque bello juventutis magna pars erat; abalienati alii (ut plerumque cum fortuna mutatur ingenium) caritate cauſſæ communis. Priuſquam tamen Carolina Clintonius excederet, fide non minus, quam pace ſtabilem provinciam relinquendam cenſuit. Convocato igitur gentis concilio, ita apud eos eſt allocutus; *Paucis vos admonendos arbitror, antequam provincia veſtra patriæ reconciliata mihi decedendum ſit. Nam & vos mihi potiſſimum, qui patriæ reſtituerim, admonere officii licet;*

bet ; & Britanno Prætori Britannis civibus imperare ea , quæ paci , ac ſaluti veſtræ conſervandæ magis neceſſaria videntur. Jam primum latere vos crederem , quæ cauſſa diuturni , & exitialis belli fuerit , quo florentiſſimæ olim provinciæ & accolarum numero , & lucroſiſſimo commercio , nunc exinanitæ opibus , ſolitudineque vaſtæ publici luctus, & calamitatis ſpeciem exhibeant . Sed quæſo . ſi in patriæ veſtræ complexum , ad juſtiſſimi imperii tutelam redeundum erat , quod alacri vos animo facitis , cur patriæ indicendum bellum fuit ? Commercio tamen vos , & pace privaſtis ; fortunarum veſtrarum facile jacturam paſſi eſtis ; uxores , liberoſque calamitatibus belli ſubjicere ; corpora veſtra incendiis, rapinis, neci offerre non dubitaſtis . Quam tantarum rerum cauſſam , & rationem adnectitis ? Nec pacis vos unquam pœnituiſſe ſcio , nec patriæ , quod ad multitudinem attinet. Paucorum ergo, & ſceleſtiſſimi cujuſque civis furor , & dementia hæc fuit , fortunas , imperiumque inter vos quærentium veſtra , patriæque pernicie . Vos non tam ſcelere , quam nimia credulitate inſaniſtis . Nulla publica querela veſtra cum pa-

Digitized by Google

patria eſt ; privatorum hæc hominum, immo pravitatis, & audaciæ cauſſa fuit : vos cupiditatibus eorum venumdati eſtis . Hæc ſi in concilio totius gentis dicere, & diſceptare coram ſapiens quis poſſet, inſidiaſque, & fraudulenta conſilia eorum detegere ; non dubito quin omnes idem facturæ Coloniæ eſſent, quod vos feciſtis. Nunc coecæ, & perduellium civium agitatæ furiis patriæ imperium execrantur : bello non abſtinent, vano deceptæ ſimulacro libertatis : quæ tamen libertas qualis eſt ? Si legitimum pati imperium (quod inter homines eſſe debet) patriis obſequi moribus, legibuſque ſervitus eſt ; tyrannidem profecto expectent ii, qui vel tumultuoſæ multitudinis imperio, vel præpotentium hominum cupiditatibus ſervituri ſunt . Hi profectò ſanguine, fortuniſque Coloniarum novum ſibi comparare imperium ſtudent : & quod ſubeundum ſibi ſupplicium ſciunt, ſi bellum eſſe deſinat ; perire cum civibus ſuis ſimul, quam diſcedere ab armis malunt . Longo, atque internicino bello, vaſtitate agrorum, urbium incendiis Colonias prope ad exitium adduxerunt . Hic fructus tantorum conſiliorum, & belli fuit . Sed

tamen indigniora rebelles manent, ſi invictum ſemper Britannorum imperium paucis deſertoribus; ſi juſta belli ratio, cauſſaque impietati, & furori ſuperior futura ſit. Quae quam vera ſint, paulliſper reputate mecum quae veſtra nunc fortuna eſſet, ſi paullo iratior, vel minus indulgens vobis patria fuiſſet: nempe pro libertate nexum, ſupplicium pro imperio habituri fuiſtis. Patriae beneficio periculo liberati eſtis in ingenuam Britannarum legum libertatem vocati, qua victuri ſitis. Nequaquam tamen periculum vobis omne, aut omne omnino bellum exemptum eſt: nam & contra impietatem, & audaciam, & rurſus contra fraudem, & amentiam pugnandum eſt; & providendum omnino, ne quem paenitentiae veſtrae fructum habetis, maleficio perditorum hominum amittatis. Nam quo utiliores vos patriae, & provinciam veſtram ſitu, ac viribus ſuis fore intelligunt; eo potentiora, crebrioraque incitamenta adhibebunt, ut iterum a fide deſciſcatis: cui malo, ut recidivo morbo, qui ſpem ſalutis adimere ſolet, opportuno ante remedio occurrendum eſt: idem ſaluberrimum erit, ſi patriae caritatem, utilitatem veſtram prae

ocu-

oculis habeatis . De caritate patriæ taceo : ſibi quiſque & quid acceperit , & quid debeat revocare ad animum poteſt : de utilitate veſtra diſputo . An melius aliquid rebelles offerant vobis , quod patria dare non poſſit ? libertatem ? nomen cujus uſquequaque eos jactare audio, cum vim, & naturam ejus non intelligunt . Sed tamen quæ libertas ulla Britannica veſtra præſtantior , vel ſolidioribus fundata legibus inveniri , aut excogitari poteſt , rerum omnium publicarum exemplum , pulcherrimaque norma ? quæ tamen libertas ne in peſtilentem licentiam traheretur , ſacro Regis nomine , juſto , moderatoque imperio confirmata eſt . An commercii divitias prætendent ? Deſipiat quis certe , ſi majores ſibi eas , quam ſub imperii Britannici tutela comparare poſſe credat . Nonne providentia noſtra , & præſidiis Britannarum claſſium ipſæ eædem Coloniæ parvis quondam profectæ initiis eo opibus creverunt , ut multas florentiſſimas Europæ gentes æquaverint commercio ? Quod nimia deinde proſperitate evectæ bellum inferre Britanniæ potuerunt : hoc quoque a patria acceptum eſt . Legitimo vos tamen imperio freti , Gallorum illi vanitati con-

ſiſi ;

ſiſi ; vos iterum ſub tutela optimarum legum, impotentibus illi privatorum cupiditatibus obtemperaturi, utros tandem creditis & meliorem libertatis conditionem, & ulteriores ſpei ſuæ fructus habituros eſſe? Quod ad Gallos attinet, amicitiores eos commodis Coloniarum, quam ſuis futuros credo, an hanc, quam venenatam quaſi eſcam licentiæ, & furoris objiciunt iis, non Britanniæ magis, quam rebellibus ipſis nocituram exiſtimatis? Cum hoſte præſertim veteri, perpetuoque, præſertim commercii divitias appetente quæ libertatis, & jurium ſocietas eſſe poteſt: quæ fides autem præpotenti Amico, omnia ad potentiam ſuam revocanti, jam primum terræ, mariſque affectanti imperium? Nempe civili bello debilitatis ambobus præcellere, & imperare Galli volunt; ſi partem Britanniæ a corpore abſtraxerint, eam ſibi vectigalem, conſiliis intereſſe, commercio potiri volunt. Hæc fere, quæ ad utilitatem veſtram ſpectant, non modo clara, ſed partim probata factis etiam habetis. Cum civibus tandem mihi loqui liceat, quos utilitatis minus, quam debiti officii, virtutiſque & gloriæ ſpecies movere debet. Pi-

geat

geat ne tandem quæ pro ſcelerato incepto, & iniquorum gratia paſſi eſtis, pati eadem pro patria? præſertim cum pro ſalute veſtra id vos patria expoſcat, quod ad exitium veſtrum illi obtinuerunt. Sed neque tanto vobis patria ſtabit modico contenta auxilio, & memoria meritorum ſuorum. Si bonorum tamen jactura nefarium bellum ſecuti eſtis, ſub ſignis Britanniæ militabitis cum ſolido ſtipendio veſtro, & majorum ſpe beneficiorum. Si commercio, & vectigalibus agrorum prohiberi vos, & Britannis circum oppugnari armis leviter tuliſtis, cum contra patriam pugnabatis; nunc commercio, & uſu rerum veſtrarum reddito, non niſi finibus provinciæ veſtræ ſummoturi hoſtem eſtis, piumque, & neceſſarium pro patria bellum defenſuri. Majores certe ſtimulos, aculeoſque patriæ caritas habuit ſemper, quam pravæ hominum cupiditates, quibus inſervire ut indignum, ita & grave ſemper fuit: virtutis namque nulla pœnitentia eſt: ſceleris conſcientia & remordet animos, & remiſſiores etiam ſæpius facit. Nihil ego vobiſcum pro imperio agam: quod ſua cuique mens, & voluntas ſuggeſſerit, id pro patria facturi eſtis. Ipſa enim ſe vobis committit, com-

 men-

mendatque , ſperans non minoris , quam parricidarum conſilia feceritis , auctoritatem ſuam vos , & accepta beneficia extimaturos eſſe . Ubi finem ille loquendi fecit , tum ab univerſis exortus clamor eſt vocibus Clintonii aſſentientibus ; dignaque Prætore ſuo oratio , digna magnitudine Britannici imperii viſa eſt . Cum circumfuſi deinde virtutem ejus , prudentiamque laudarent , alacres profitebantur ſe non modo adverſus peſtiferos cives defendere patriam velle ; ſed illaturos etiam ultro bellum hoſtibus Britannorum . Senatus itaque conſultum factum eſt ; decretumque , ut juventus matura armis Britannos Prætores ad bellum ſequeretur ; quos ætas militia excuſaret , præſidio urbibus eſſent ; idem præſtarent qui vel matrimonio illigati erant , vel impuberum puerorum curam habebant . Clintonius igitur Carleſtonio , & Savanaacca receptis , duas Britannico imperio provincias virtute ſua reſtitutas eſſe , duas inſuper validiſſimas arces finitimarum regionum velut cervici ſuper impoſitas gaudebat . Tum in ſeptentrionales ſecum provincias bellum deportaturus Carolina exceſſit .

Finis libri primi .

VINCENTII MARIÆ CAPUTI

RERUM GALLISPANARUM;

LIBER II.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

LIBER II.

Ingreſſus ad alteram hiſtoriæ partem.

Quod felix fauſtum lectoribus, & mihi ſit, abſoluta jam prima parte operis, alteram aggredior rerum geſtarum magnitudine, & varietate longe nobiliorem. Increbeſcente namque tumultu belli & acriores cupiditati hominum ſtimuli injecti, & tranquillitas populorum vehementius jactata eſt. Hinc multifariam rerum cauſſæ & opiniones hominum, conſiliaque conſiliis, & vires viribus oppoſitæ; hinc admixta ſæpe humanis fortuna conatibus, & inſperati rerum exitus non ſine fructu, & voluptate percipi poſſunt. Me quoque velut in parte tanti belli, ac diuturni laboris affectum aliquando animo eſſe, & difficultate operis pene fatigatum non inficiam. Properanti porro ad finem inceptus & ſingulis non inſiſtere, & quæ digniora memoratu videntur, prolixius explicare liceat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

Maritimæ Galliſpanorum, & Britannorum expeditiones, prædæque navium utrinque factæ.

DUm terreſtribus exercitibus Angli feliciter rem gererent adverſus fœderatos Colonos; placuit interea maritimis quoque copiis Colonorum, Gallorumque navigationem intercludere, vectoriarum maxime Gallarum navium, a quibus in Americam auxilia ſubvehebantur, & Gallorum Antillas tentare, ſi qua occaſio aperiretur. Duobus Parkeriis fratribus cura belli hujus demandata eſt, qui piraticam novam illam excolendo artem, cui jam Europa aſſueſcere videbatur, multas hoſtium naves ceperunt, interdixerunt aliis Antillarum mare; ita ut omnium pene rerum, quæ ſuppeditari ab Gallia inſulis ſolebant, inopiam fecerunt. Huic malo ut occurreretur a Gallis bellicarum navium Præfectis imperatum eſt, ut onerariis ſuorum claſſibus præſidio eſſent, & Anglorum commeatibus infeſtam navigationem facerent.

Id ſumma induſtria præſtitere Præfecti navium; enituitque in hoc pugnarum genere Mothe-Piqueti virtus, qui inferior ſæpe viribus Britannorum vires cohibuit, & nonnullas hoſtium naves potitus eſt: provida deinde cura magnum tritici numerum advexit, & mercium aliarum in Antillas, gravioremque ita annonam, & rerum inopiam levavit. Et in Europa, ut idem pugnandi genus eſſet, quo in America certabatur, prædarum avidi Galliſpani, atque Angli Mediterraneum mare, atque Oceanum ſæpe bellicis claſſibus, ſæpe piraticis navibus percurrebant. Dulcedo namque rapiendi, & alienis ſuſtinendi bellum facultatibus invaſerat mentes populorum. Privati quoque eadem ſpe illecti agrorum deſerentes cultum prædas, & certamina inhiabant, quibus majora ſibi commoda, & facilius acquiri poſſe arbitrabantur. Univerſi igitur belli ſortem crebris his, parviſque præliis carpebant modicis ſæpe viribus magnarum claſſium, magnorumque exercituum æquantes animos. Pugnantes namque non inſita magis ferocia, & vitæ contemptus, quam tenax avaritia, & alieni cupiditas inflammabat.

Præ-

Præcipuas nos, & regiarum claſſium prædas referentes, cæteris abſtinebimus, quæ ſatietatem lectoribus facerent. Mortuo Hardì, quem ſuperiore anno Angli Galliſpanis Britanniam invaſuris oppoſuerant, ſumma rei navalis ad Geari delata eſt, qui exacto militiæ munere, & pergrandis natu magiſtratibus, & armis abſceſſerat. Septuagenarius evocatus ad bellum, profectuſque ab Anglia valida cum claſſe navium Europæ occidentalis mari dum vagaretur excepit onerariarum Gallarum navium agmen ab Aſia revertens cum ingenti mercium numero, & pecuniæ. Hujus opulentæ claſſis partem ipſe eſt indeptus, partem ad terram accedentem ignitis glantibus abſumpſit; paucas admodum cladis ſuæ in Gallia m nuncias reliquit. Nonnullæ quoque bellicæ, majoriſque formæ naves captæ ſunt, quibus maritimæ Britannorum vires auctæ. Tantarum tamen prædarum divitias una, maximaque hoc anno ab Anglis accepta calamitas penſavit. Sexaginta namque & quatuor navibus (onerariis fere omnibus) quæ militum ſupplementa, armorumque ingentem vim in

Ame-

Americam portabant ex Plimuthi portu ſolverant: prætergreſſi deinde Geari claſſem, quæ Ibericum tum fretum inſidebat, cum nihil ſibi periculi fore arbitrarentur procul ab Europæ finibus, inciderunt in inſidias Hiſpanorum. Hi namque, ut navigationem ab Europa in Indias hoſtibus præcluderent, & ſuam tuerentur, magno bellicarum navium numero, Cordova Prætore claſſis, Atlanticum obtinebant mare. Error quoque Anglorum Hiſpanos juvit. Denſa namque caligo cum obcœcaſſet diem, ut nil certi cerneretur, refulgentem in prætoria Hiſpanorum navi lucem Angli proſpexere. Rati eam ſuæ gentis navem eſſe, recta eo omnes perrexerunt. Multæ ita in medio circumventæ naves ab Hiſpanis ſunt captæ: paucæ admodum, poſtquam inſidiæ ſunt detectæ, fuga captivitatem evaſerunt. Plus quinquaginta in poteſtatem Hiſpanorum venerunt, quas omnes in Hiſpaniam deducendas Aloyſius Vincentio Doz attribuit cum præſidio navium bellicarum. Hæc tam opima præda in diſpendioſo præſertim bello pergrata Hiſpanis fuit. Satis enim conſta-

bat claſſem hanc opulentiſſimam omnium, quæ multis ab hinc annis in Indias navigaſſent, omnibus ſuis Britanniam viribus connixam coegiſſe, multaque ſpe, & expectatione Anglorum, quod & ſupplendis in Americam militibus, omnique alii armorum apparatui ſuffectura videbatur. Cæterum Britannis, ut ab generoſo hoſte potuit, ſua calamitas levata eſt. Captivis namque militibus, voluntariiſque ſua quibuſque bona cognoſcentibus reddita: iis præterea, qui negotiorum ſuorum, non bellandi ſtudio in claſſe navigabant (erantque multi ſane viri, fœminæque nobiles) præter fortunas ſuas, libertas quoque conceſſa eſt; ut appareret omnibus publica cauſſa decertare Hiſpanos, non ex privatorum jacturis, & luctu fœminarum lucrum, & victoriam ſibi quærere. Sed in Aſia quoque Britannis parum proſperæ res fuerunt: magnam namque a Marattis (Malabaricam ea gens oram colit) cladem per idem tempus acceperunt, duplicique incommodo affecti, dum & in Aſiam, & in Americam vires partiuntur, infirmiores utrobique fuerunt.

Digitized by Google

CAPUT II.

Valida navium auxilia ab Europa tum Anglis, tum Galliſpanis veniunt in Americam. Rodneys ad Martinicam dubia victoria cum Gallis congreditur.

IN America interim Angli, dum nova ab Europa auxilia expectabant, S. Vincentii, & Grenadæ inſularum recuperandarum conſilium inierunt. Ut facilius inceptum expedirent, validum armatorum hominum, naviumque numerum in Lucianam inſulam arceſſerunt, quod utrique inſulæ ea proxima eſt; prægreſſæque interim bellicæ quædam naves univerſam claſſem inſidiaturæ Gallicis ſubſidiis, quæ miſſa ab Europa eſſe dicebantur. Hæc Brittannorum conſilia diremit adventus Gallicæ claſſis, quæ Breſtiæ a portu, Guicheno duce, profecta opportune in Americam pervenit. Et ut quaſi alterna vice conatus amborum fruſtraretur ſors, dum ab Martinica Guichenus ſuperioribus multo opibus Lucianam invadere inſulam intendit, nun-

tium a ſuis accepit, magna ab Anglia Britannis veniſſe auxilia navium, & copiarum, duce Georgio Rodney, portumque inſulæ illius tenuiſſe, qui Gros-Islet vocatur. Tum ſuarum confirmando rerum ſtatui utriuſque gentis Prætor intentus, dum alter ab altero timet, parumper a bello ſeſe continuerunt. Ineunte vere Rodneys (ſegnis namque diu in Antillis mora fervidum ejus ingenium offendebat) primus arma hoſti ferre, & Martinicam longe opulentiſſimam Gallorum inſulam adoriri parat. Egreſſus igitur cum viginti, & quatuor bellicis navibus ex portu Gros-Islet Martinicam contendit ire. Progreſſus deinde uſque ad portum inſulæ (*Forte Reale* ipſum vocant) quo Gallica claſſis ſtabat, pugnæ copiam facturus conſtitit aliquandiu in conſpectu inſulanorum. Cum nec movere ſe hoſtes ſenſit, & pugnam detractare arbitrabatur, ceſſit paulliſper ad meridiem, quo Guichenus ſuis apparatis navibus audacter eſt conſecutus, ibi pugna majori vi, pertinaciaque, quam proſpero alterutrius ſucceſſu bis inſtaurata eſt. Utrique pro ſua amplexati victo-

riam,

riam, quod alter alteri ſpem, & conſilia majorum rerum interpellaſſet. Cæterum utrinque mulctatæ naves, aut mutilatæ: in ſuos quiſque deinde portus tranſmiſerunt.

CAPUT III.

Galli cum claſſe navium, & militum ſupplementis ab Gallia profecti, ut Colonis ferrent ſubſidia, primo in Rodum inſulam trajiciunt: ea deinde munita, ne qua periculum ab Anglis eſſet, de adventu ſuo Senatum certiorem faciunt.

SUb idem fere tempus expectata ab Gallia ſubſidia in continentem fœderatorum Colonorum ſub auſpiciis Tournay navium Prætoris, & tribuni militum Roſciambò ſecunda navigatione pervenerunt. Sex armatorum millia, & bellicorum commeatuum ſatis magnum numerum advexerunt. Et aliæ quoque ab Gallia ſubſequebantur naves copiis, bellicisque inſtrumentis onuſtæ. Opportuno hoc ſubſidio confirmati Angloamericanorum animi ſunt, quos continuatæ clades fregerant, compreſſique ſeditionum orientium motus, quibus Reipublicæ ſtatus labefactari poterat. Præcluſo namque Britannicis navibus commercio, quod unum in adverſis rebus levamen erat, inopia re-

rerum, atque egeſtate preſſi conſilia nonnulli de recipiendis Anglis agitabant. Ad Rodum inſulam Gallorum claſſis commorabatur: eum namque potiſſimum ſibi locum delegerunt, quod mutuo cum Americanis commercio, mittendiſque, & recipiendis auxiliis maxime opportunus videbatur. Multis itaque inſulam operibus munierunt; ut ſi qua externa vis adoriretur, facile defendi poſſet. Et exiſtimatio communis omnibus erat, niſi illo propugnaculo expugnato, nuſquam proficere in bello Anglos poſſe; ſi qua præterea ab Europa claſſis eorum veniret, facile id ante ſenſuros ſe, & in obvio habituros hoſtem. Agitatum quoque inter duces eſt, utrum interea omnes in inſula copiæ retinerentur, ad omnem belli occaſionem paratæ, an in continentem trajici præſtaret: placuit quod ſatis eſſet ad inſulæ præſidium in ea relinqui, cæteras, quo potiſſimum Coloni mallent deportari. Miſſi interim Philadelphiam primores aliquot Centurionum, qui nuntiarent adveniſſe Gallos, & de ratione totius belli cum ſociis conſultarent. Ut Philadelphiam pervenerunt Senatus iis

extemplo datus eſt, & magnifica oratio eorum fuit: *Gallicas copias in præſentiarum advectas partem auxiliorum eſſe, quæ in Americam deſtinata ſint: alia, atque alia ſuo tempore adventura auxilia; ubicumque autem ipſi vellent ſeu mari, ſeu terra ſe geſturos bellum; ut intelligerent non armis Gallorum magis fidere debere eos, quam amicitia, & fide. Non ſumptibus, non ſanguini ſuo parſuros ſe; ut quam ſemel Colonis libertatem verbis oſtentaverint, in eam re, & conſtantia ſua vindicent. Nihil vero ſibi præter gloriam aliquid ſumere: neque id novum, neque inveriſimile ab Gallis fore. Tertiam jam conſtitutam Rempublicam eſſe uno Gallorum, ſed præſentiſſimo auxilio: ex quibus cognoſcerent, & nihil non ſperandum ab Gallis eſſe, & nihil arduum, aut inexuperabile Gallorum viribus fore.* Gratiæ ab Senatu actæ, rogatiquæ Galli, ut communicatis cum Dictatore Americano conſiliis, facerent quod ad Rempublicam pertinere videretur.

CA-

CAPUT IV.

Enricus Laurens Amſtelodamum ab Colonis miſſus, ut conditiones cum Batavis conſtitueret de fœdere amicitiaque jungenda ab Anglo Pirata captus, deductuſque Londinum cauſſam dat novi bellici, quod adverſus Batavos ab Anglis eſt ſuſceptum.

DUm tanta belli moles Britannis ingruebat in America, Batavi quoque belli; quod & paraſſe, & tamen cohibere videbantur Angli cauſſa maturandi venit. Captus per hoc fere tempus eſt a pirata quodam Anglo Enricus Laurens dum ex America in Belgium navigabat. Princeps hic Americani Senatus erat a ſuis miſſus, ut Amſtelodami cum Magiſtratibus ejus urbis commercii fœdus componeret: clam namque ante de amicitia inter eos jungenda conſilia fuerant. Libelli quoque, in quibus fœderis hujus mentio erat, comprehenſi; delatique Londinum. Non pro hoſte Laurens, ſed pro rebelle, & perduelle habitus in car-

cerem eſt conditus; inquiſitioque, & quæſtio de crimine, & capite per Magiſtratus acta eſt. Cæterum quod captivis Anglis timebatur, qui in poteſtate Colonorum erant, ſupplicio abſtinuerunt: ſumma tamen, ac ſevera cuſtodia diu retentus eſt. Hujus fœderis conſilium ubi Londini eſt patefactum, velut comprehenſa aliqua fraude Batavorum, vulgo homines fremere: *ambiguos amicos, perfidos hoſtes bello coercendos eſſe*. Hæc propalam indocilis jactabat plebes. Sed maturiore conſilio Miniſtri Regis legato ſuo apud Belgas ſcribendum cenſuerunt, ut ad Rempublicam injuriam deferret, quod plecti oporteret criminoſi fœderis reos; ſimul injunctum eſt, ut debita Britannis auxilia, quæ tamdiu fruſtra petiſſent, enixius expoſcerentur. Senatus Batavorum, poſtulatis legati auditis, reque perpenſa decrevit; Amſtelodami Magiſtratus non recte feciſſe, quod fœdus cum Americanis pangere inſtituiſſent: quod ad petita auxilia attinebat, rejectum id ad maturiorem diſquiſitionem eſt, negataque in præſentia Britannis. Et nihilominus Amſtelodamenſes magiſtra-

ſtratus, qui plurimum auctoritate in Republica valebant, palam novi fœderis conſilium faſſi, in incepto perſtitere. *Nam neque lædi novo hoc fœdere, ajebant, vetuſtum cum Britannis fœdus; quod commercii cum Coloniis, non belli fœdus iniretur; & navalium materiarum commercio abſtinere ſe:* Ita Anglicarum querelarum vim declinare, & refutare conſilia credebant. Tum conſueto denunciandi belli more Batavis eſt indictum longa verborum formula, quæ de fœdere, & duorum populorum juribus diſputabat: dataque facultas Britannarum navium Præfectis, & piratis bello perſequendi hoſtes.

CA-

CAPUT V.

S. Euſtachii inſula capitur ab Anglis: navale eorumdem cum Batavis certamen.

MUltæ extemplo Batavorum commercio illatæ clades: crebræ namque navium prædæ in Anglicos portus deducebantur. Maxime opulenta fuit, quam S. Euſtachii in inſula (minorum Antillarum una eſt) potiti Angli ſunt. Belli namque denunciationem ſubſecuta inſulæ ejus oppugnatio eſt ductu ſtrenui Rodneys; nulloque repugnante hoſtium inſula in arbitrium victoris conceſſit. Mercium omnis generis magnam vim, plus tamen auri, argentique facti, ſignatique ibi Britanni invenerunt. Nequaquam vero tantis eos augeri divitiis fortuna paſſa eſt: advehentibus namque magno agmine vectoriarum navium in Europam Euſtachianam prædam obviam ex inopinato factus Gallicæ claſſis Prætor Graſſæ Comes majorem ſibi mercium, pecuniæque partem ab hoſtibus vindicavit. Tot, tantæque, & ſimul iiſdem prope die-

diebus acceptæ clades Batavorum animos conſternaverunt: querebanturque, quod neque amicos Britannos pati, nec ferre hoſtes poſſent. Excludebantur interim libera navigatione Belgæ, qua dignitatem olim, & vires retinuerant: & timor ſubibat animos propediem in Aſiaticas Colonias bellum tranſductum iri. Tum intentiore cura, quod ante neglectum erat, bellicæ parari naves cœptæ, & veteres refici: & quod nequaquam ſe tanto hoſti pares cernebant, nonnullæ in Aſia Coloniæ copiis, claſſibuſque Gallorum tuendæ datæ, quoad duraturum bellum cum Anglis eſſet. Operæ prætium eſt confiteri potentes ſæpe dilabi Reſpublicas, quæ externis commercii potius, quam indigenis ſtant opibus; idque accidere facilius cum quibus diſciplinis partum imperium ſit, eædem per luxum, aut avaritiam diſſolvantur. Tum novi mores veniunt, & lucri infinita cupiditas; otii mox, & perpetuæ pacis deſiderium; & in neceſſariis belli ſumptibus parum prudens œconomia ſalubriora decipit conſilia. Ad averruncanda belli mala Batavi nunciis mittendis per ſuos ubi-

que

que legatos Regum tutelam implorabant circumferentes querelas adverſus vim, & conſilia Britannorum. Et ad permulcendos Hiſpanorum animos, qui maxime indignabantur, quod crebra a mercatoribus Belgis Gibraltariam auxilia tranſveherentur, Senatus edicto cautum eſt, ne quis poſtea Batavorum obſeſſis Anglis ſubveniret. Batavi igitur, cœpto cum Anglis bello, ſui protegendi commercii ſtudio naves nonnullas comparaverunt. Baltici tuendi maris cura Zuitmanno data eſt. Profectus ille ab Taxel duodecim cum navibus majoris formæ, & onerariis centum petebat Balticum. Cum ad Daniæ fines proceſſiſſet redeuntes inde pari ferme numero bellicarum navium Britannos in occurſum habuit. Hic Prætor uterque & gloriæ ſtimulis accenſus; & prædæ ſpe fidens ſuis quiſque viribus nullam prælio moram dederunt. Anceps diu pugna ſtetit, neutro inclinante vel fortuna, vel ardore animorum. Vulneratæ utrinque naves plereque, & multi milites, nauticique ceciderunt. Nam cominus res gerebatur: nec majorum tormentorum modo, ſed minorum quo-

quoque baliſtarum ea pugna erat, glandiumque ignitorum velut grandine claſſes obruebantur. Majus tamen a Batavis acceptum incommodum eſt: nam provehi in Balticum deinde ipſi nequiverunt; coactique ſunt claſſem reducere in Belgium, prætoria navi amiſſa, quæ tormentorum lacerata ictibus, cooperientibus aquis, cum ægris ſimul, ſauciiſque militibus demerſa periit. Angli curſum proſecuti quo tendebant in ſuos portus pervenerunt. Sua tamen quique ſorte læti eſſe viſi ſunt; Angli, quod victores ſe prælio exceſſiſſe credebant; Batavi, quod ſtrenuo, terribilique hoſti non ceſſiſſent; dubiamque victoriæ famam domum referrent. Utrique etiam & in Anglia, & in Belgis præmiis affecti ſunt, quod egregiam in prælio operam navaſſent. Nihil deinde memorabile aliud a Batavis actum, ut qui inviti bellum ſuſcepiſſent. Nec ſua multum illi intereſſe credebant, utrum Angli, an Galliſpani maris imperio potirentur, dum nullis ipſi laceſſirentur injuriis, neque commercio exturbarentur.

CA-

CAPUT VI.

Proſperæ Hiſpanorum expeditiones in America adverſus Anglos.

AT eodem tempore Hiſpani, quibus Americani belli cura erat, duodecim naves majoris formæ, & undecim millia armatorum, duce Joſepho Solano, in Americam miſere; ut communicatis cum Prætore Gallo conſiliis, bellum adminiſtraret. Præter navium, militumque numerum, quem diximus, multæ onerariæ naves erant, quæ magnam mercium vim portabant: eæ vero Americanis nundinis vendi debebant. Languescenti namque, ac prope intermiſſo Hiſpanorum cum Coloniis ſuis commercio, nova, frugiferaque lege conſultum erat; provinciiſque fere omnibus negotiandi inter ſe facultate facta ab Carolo Rege, utilius, latiuſque commercium exercebatur. Ita novo excitati lucro Hiſpani ſolertiores quæſtibus inſtituendis erant: noviſque vectigalibus regium ærarium ditebatur. Secundis evecta ventis Hiſpana claſ-

claſſis in Americam pervenit ; ubi nonnullæ memoria dignæ res Hiſpanos inter , Britannoſque hoc anno geſtæ ſunt. Præcipuæ earum in continente Mexicana, & Loviſianæ , & Floridæ regionibus fuere . Betancurtus Yucatanis Prætor, qui ſuperiore anno pleraque ædificia Britannorum ceperat , dirueratque (quæſtibus hæc faciendis , protegendiſque , & more militari conſtructa erant) non deſtitit inde hoſtes perſequi donec omni penitus provincia dejecit . Et ad Gozinæ promontorium , & proximis circa regionibus munitiones adortus hoſtium ædificiis , mercibuſque , & nonnullis minoribus navibus potitus eſt . Sub hæc ſtatim copiarum partem ad S. Ferdinandi-Omoa arcem recuperandam miſit ; quod finitimorum locorum dubiam ſibi poſſeſſionem ducebat donec ea ab Anglis retineretur . Angli Hiſpanorum adventus famam non ſuſtinuerunt , celerique profecti fuga ab urbe vacuam eam , vacuam quoque arcem hoſtibus reliquerunt . Et per idem fere tempus in Luiſiana provincia Galvez validum munitumque Anglis caſtellum ademit (Mobi-

bile id Caſtellum vocant) erumpenteſque a Penſacula hoſtes , ut obſeſſæ auxilium urbi ferrent , ſtrenue retudit ; coegitque repetere Penſaculam , ad quam ipſe urbem , quod omnem circa regionem in poteſtate haberet , bellum deſtinaverat transferre . In ea occidentalis Floridæ parte , quæ Tegeſten provinciam attingit , Penſacula urbs poſita eſt mari proxima , reſpicitque ad Meridiem Mexicanum fretum , non populoſa accolis , ſed opportuno portu , & ſinu admodum lato (S. Joſephi vocant) ad detinendas naves . Media ferme inter occidentales cognitas & orientales ſeptentrionalis Americæ terras objicitur peninſulæ Yucatanis ; ac velut emporium hinc inde Loviſianæ , & Floridæ regionis eſt ; & ſeptentrionalibus provinciis itinere terreſtri , meridionalibus autem mari undequaque patet . Valido eam Angli præſidio , & firmis munitionibus tutabantur . Clauſtrum namque ſuarum poſſeſſionum putabant eſſe , qua conterminæ Hiſpanis ſunt . Tot urbis commoda Hiſpanorum cupiditatem incenderunt ; qui facilem ſibi ſpem faciebant , Penſacula expu-

pugnata, totius Floridæ poſſeſſionem victoriæ acceſſuram eſſe. Et cum proſpera plerumque fortuna majores quoque ſpiritus veniunt, & nova incitamenta virtutis. Quod non conatu magis, quam ſucceſſu grave futurum erat inceptum, dum in Loviſiana Galvez comparari copias jubet, proficiſci ipſe Cubam inſulam ſtatuit, ut Europeas quoque ſuppetias acciperet: eo enim ab Hiſpania Solani naves, militeſque pervenerant. Ut Avanam ventum eſt Prætorem inſulæ, auctoritate cujus adminiſtrandum bellum erat, confeſtim adiit: cumque de ſuo conſilio, & ſtatu rerum, deque ſpe, & occaſione conatus diſſeruiſſet, cum aſſenſu accepta oratio eſt. Principio Mar- 1781
tii menſis, paucis bellicis aſſumptis navibus, ab Avana ſolvit. Habebat autem quamplurimas onerarias militum ſatis validum numerum portantes, & commeatuum. Primo S.Roſæ inſulam tenuit haud procul a Penſacula; invehique ſinum juſſæ naves bellicæ, ut maritima in urbem auxilia difficilius importarentur. Aliquandiu ibi commoratus deſcenſionis parandæ cauſſa in continentem

G pro-

protinus trajicit copias. Sed æque intentiore cura defenſuri urbem Angli erant, quam oppugnaturi hoſtes: Et ex præparatis ante militibus, cibariiſque, & quibus ad bellum opus eſſet, adeo ſe tutos exiſtimavere Britanni, ut ultro eruptionibus provocarent hoſtem: operaque interdum Hiſpanorum ab iis vel turbata ſunt, vel corrupta. Cum nondum perfecta caſtra Hiſpanorum eſſent, repente ex urbe armatæ hominum manus ſuis quequæ armorum generibus ruentes in pugnam ſtativa hoſtium ſunt adortæ. Aliquandiu his & virtute, & conſtantia ſua reſtitere Hiſpani, donec prægravante Anglorum numero paullum ceſſere loco, & ſuis ſe munitionibus tutabantur: deferveſcente deinde pugna, & animo Britannorum nihil gravius eo die fuit; ſeſeque mox Angli intra muros recepere. Cum longior difficiliorque præter ſpem oppugnatio futura eſſet, & ab Loviſiana octingenti milites, & ab Avana tria millia armatorum venerunt: his conjunxere ſe quingenti ferme Galli, quibus omnibus acceptis Galvez, intentior oppugnandæ urbi erat. Poſtquam

ſuos

ſuos ſatis tutos munitionibus fecit, progredi tum occultis operibus in urbem, & tormentis diſcutere muros cœpit. Summa id paucos poſt dies felicitate factum eſt: dirutiſque ex parte muris, ignem caſu in turri quadam combuſtibiles materiæ cum comprehendiſſent, accenſus repente ſulphureus pulvis, cujus ibi magna vis erat, terrifico cum conatu aeris, ingentique fragore, ac ſtrepitu, & cum ſtrage propugnatorum turrim excuſſit. Tum de ſalute ſua Britanni deſperavérunt, timenteſque, ne capta vi urbe, nulla ſibi apud victores venia eſſet; in voluntariam deditionem conceſſerunt. Pactum in conditionibus eſt, ut captivi omnes eſſent, & pari numero Hiſpanorum redimerentur: adſtricti quoque ſacramento, ne quoad bellum eſſet, arma contra Hiſpanos ferrent. Velut acceſſio captæ urbis tres quoque bellicæ Britannorum naves, quæ in Penſaculæ portu erant, Hiſpanis deduntur. Ita virtute, ita fortuna ſua læti Hiſpani victoria ovantes domum redierunt, patefacta per immenſum terræ ſpatium dominatione ſua qua ad Orientem vergit.

CAPUT VII.

Hiſpani Gibraltariam ſimul, & Minoricæ arcem oppugnant: ad Gibraltariam parum proſpere res ſuccedunt. Minoricanæ arcis defenſores ad ſummam rerum anguſtiam adducunt.

QUo tempore hæc in America gerebantur, ad Gibraltariam interim, poſtquam auxilia ſuis Rodneys advexerat, nuſquam ceſſatum ab Hiſpanis erat, ut arctiore in dies oppugnatione urbs ad deditionem compelleretur. Acriori itaque ſtudio quæ uſui bello eſſent ex proximis provinciis comparabant, quæ vel quaſſata, vel corrupta ab hoſte opera erant (crebris namque eruptionibus, tormentorumque vi obtinuerat) reficiebant, & majori navium numero, ut quotidianis egens commeatibus oppidum intercluderetur, mare cuſtodiebant. Angli quoque crebriores ſibi, denſioresque munitiones facere in ea præſertim parte, quam promontorium Europæ appellant, & qua ab Septentrione

ne objecta hoſtium caſtra erant. Sita hæc haud procul a vico erant, quem S. Rochi vocant. Ab Gadibus interim quadraginta cum navibus Cordova profectus Hiſpaniæ, Galliæque oceanum percurrit, in id maxime intendens animum, ut Britannorum claſſi, quæ magno apparatu ſubſidia Gibraltariam ferre dicebatur, quam primum, atque opportune occurreret, confligeretque extemplo cum hoſte. Digbius namque Præfectus Anglorum, cui Europeæ claſſis imperium obtigerat, quinquaginta ferme naves, & magnum onerariarum numerum ducens in Hiſpaniam properabat, ut laboranti oppido ſubveniret. Paucos ante dies, quam Gaditanum fretum intraret Anglus, jam Aloyſius in portum reverterat, qua opportunitate lætus hoſtis Gibraltariam cum commeatibus nullo impediente eſt ingreſſus. Fateor multa ſcribenti mihi obſcura occurrere, quorum nec cauſſam, nec rationem explicare facile poſſim. Profecto miretur quiſque tam facilem Britannis in Hiſpaniam tranſitum fuiſſe, neglectamque ab Hiſpanis pugnæ occaſionem, quam expetiſſe credebantur. Nam ne-

Hiſpanorum latuiſſe Oppidanos tradunt. Mirabilem dictu rem in tanta præſertim vicinitate gentium, cum fama belli citius, quam bellum transferri ſoleat! Fama quoque eſt Hiſpanis inſulam attingentibus tum primum palatos, trepidoſque Anglos refugiſſe in arcem ad quatuor millia armatorum. Dum urbem, & S. Filippi arcem, quibus Marray præerat, terra, marique oppugnare Hiſpani parant, diverſæ ab Crillonio mittuntur militum cohortes ad parva caſtella occupanda, & ad inſulæ ſinus cuſtodiendos, ne a vicina Hetruria Britanni, ubi nonnullas in ſtatione naves habebant, obſeſſis ſubſidiarentur. Et in aſſiduo labore Hiſpanus fatigatur miles, ut cuniculis, aliiſque operibus perfectis prepediem expugnaretur urbs. Supra centum majora tormenta erant, quibus muros diſcutiebant, quorum vim, aliosque hoſtium conatus ut repellerent Angli crebras ab arce, urbeque eruptiones fecerunt ſtrenue incurſantes in ſtationes, atque opera Hiſpanorum, nullo tamen felici eventu: tantus in capienda urbe ardor animis, & in ſtationibus ſervandis cura Hiſpano mi-

militi erat! Aliquandiu dilata deditio eſt, quod parvis ſæpe navigiis obſeſſis ſubmittebantur auxilia, quæ ut ad ſummam totius belli parum proderant, ita validiorum ſpem auxiliorum fovere, & tempus extrahere Anglos cogebant. Muri interim, ædificiaque majori in dies ruina proſternebantur; adeo ut admirarentur Angli machinatorum Hiſpanorum artem, ſcientiamque in eo bellicam. Nec jam ferro, & virtute plus hoſtium, quam volatico, & exterminatore igne ſubigi credebant. Hæc in Hiſpania eo anno.

CAPUT VI.

Proſperæ Hiſpanorum expeditiones in America adverſus Anglos.

AT eodem tempore Hiſpani, quibus Americani belli cura erat, duodecim naves majoris formæ, & undecim millia armatorum, duce Joſepho Solano, in Americam miſere; ut communicatis cum Prætore Gallo conſiliis, bellum adminiſtraret. Præter navium, militumque numerum, quem diximus, multæ onerariæ naves erant, quæ magnam mercium vim portabant: eæ vero Americanis nundinis vendi debebant. Langueſcenti namque, ac prope intermiſſo Hiſpanorum cum Coloniis ſuis commercio, nova, frugiferaque lege conſultum erat; provinciiſque fere omnibus negotiandi inter ſe facultate facta ab Carolo Rege, utilius, latiuſque commercium exercebatur. Ita novo excitati lucro Hiſpani ſolertiores quæſtibus inſtituendis erant: noviſque vectigalibus regium ærarium ditebatur. Secundis evecta ventis Hiſpana claſ-

claſſis in Americam pervenit ; ubi nonnullæ memoria dignæ res Hiſpanos inter , Britannoſque hoc anno geſtæ ſunt. Præcipuæ earum in continente Mexicana, & Loviſianæ , & Floridæ regionibus fuere . Betancurtus Yucatanis Prætor, qui ſuperiore anno plera̧que ædificia Britannorum ceperat, diruerat que (quæſtibus hæc faciendis , protegendiſque , & more militari conſtructa erant) non deſtitit inde hoſtes perſequi donec omni penitus provincia dejecit . Et ad Gozinæ promontorium , & proximis circa regionibus munitiones adortus hoſtium ædificiis, mercibuſque , & nonnullis minoribus navibus potitus eſt . Sub hæc ſtatim copiarum partem ad S. Ferdinandi-Omoa arcem recuperandam miſit ; quod finitimorum locorum dubiam ſibi poſſeſſionem ducebat donec ea ab Anglis retineretur . Angli Hiſpanorum adventus famam non ſuſtinuerunt , celerique profecti fuga ab urbe vacuam eam , vacuam quoque arcem , hoſtibus reliquerunt : Et per idem fere tempus in Luiſiana provincia Galvez validum munitumque Anglis caſtellum ademit (Mobi-

bile id Caſtellum vocant) erumpenteſque a Penſacula hoſtes , ut obſeſſæ auxilium urbi ferrent, ſtrenue retudit ; coegitque repetere Penſaculam , ad quam ipſe urbem , quod omnem circa regionem in poteſtate haberet , bellum deſtinaverat transferre . In ea occidentalis Floridæ parte , quæ Tegeſten provinciam attingit, Penſacula urbs poſita eſt mari proxima , reſpicitque ad Meridiem Mexicanum fretum , non populoſa accolis , ſed opportuno portu , & ſinu admodum lato (S. Joſephi vocant) ad detinendas naves . Media ferme inter occidentales cognitas & orientales ſeptentrionalis Americæ terras objicitur peninſulæ Yucatanis ; ac velut emporium hinc inde Loviſianæ , & Floridæ regionis eſt ; & ſeptentrionalibus provinciis itinere terreſtri, meridionalibus autem mari undequaque patet . Valido eam Angli præſidio , & firmis munitionibus tutabantur . Clauſtrum namque ſuarum poſſeſſionum putabant eſſe , qua conterminæ Hiſpanis ſunt. Tot urbis commoda Hiſpanorum cupiditatem incenderunt , qui facilem ſibi ſpem faciebant , Penſacula expu-

pugnata, totius Floridæ poſſeſſionem victoriæ acceſſuram eſſe. Et cum proſpera plerumque fortuna majores quoque ſpiritus veniunt, & nova incitamenta virtutis. Quod non conatu magis, quam ſucceſſu grave futurum erat inceptum, dum in Lovisiana Galvez comparari copias jubet, proficiſci ipſe Cubam inſulam ſtatuit, ut Europeas quoque ſuppetias acciperet: eo enim ab Hiſpania Solani naves, militeſque pervenerant. Ut Avanam ventum eſt Prætorem inſulæ, auctoritate cujus adminiſtrandum bellum erat; confeſtim adiit: cumque de ſuo conſilio, & ſtatu rerum, deque ſpe, & occaſione conatus diſſeruiſſet, cum aſſenſu accepta oratio eſt. Principio Martii menſis, paucis bellicis aſſumptis navibus, ab Avana ſolvit. Habebat autem quamplurimas onerarias militum ſatis validum numerum portantes, & commeatuum. Primo S.Roſæ inſulam tenuit haud procul a Penſacula; invehique ſinum juſſæ naves bellicæ, ut maritima in urbem auxilia difficilius importarentur. Aliquandiu ibi commoratus deſcenſionis parandæ cauſſa in continentem 1781

G pro-

protinus trajicit copias. Sed æque intentiore cura defenſuri urbem Angli erant, quam oppugnaturi hoſtes: Et ex præparatis ante militibus, cibariiſque, & quibus ad bellum opus eſſet, adeo ſe tutos exiſtimavere Britanni, ut ultro eruptionibus provocarent hoſtem: operaque interdum Hiſpanorum ab iis vel turbata ſunt, vel corrupta. Cum nondum perfecta caſtra Hiſpanorum eſſent, repente ex urbe armatæ hominum manus ſuis quequæ armorum generibus ruentes in pugnam ſtativa hoſtium ſunt adortæ. Aliquandiu his & virtute, & conſtantia ſua reſtitere Hiſpani, donec prægravante Anglorum numero paullum ceſſere loco, & ſuis ſe munitionibus tutabantur: deferveſcente deinde pugna, & animo Britannorum nihil gravius eo die fuit; ſeſeque mox Angli intra muros recepe-runt. Cum longior difficiliorque præter ſpem oppugnatio futura eſſet, & ab Loviſiana octingenti milites, & ab Avana tria millia armatorum venerunt: his conjunxere ſe quingenti ferme Galli, quibus omnibus acceptis Galvez, intentior oppugnandæ urbi erat. Poſtquam

ſuos

ſuos ſatis tutos munitionibus fecit, progredi tum occultis operibus in urbem, & tormentis diſcutere muros cœpit. Summa id paucos poſt dies felicitate factum eſt: dirutiſque ex parte muris, ignem caſu in turri quadam combuſtibiles materiæ cum comprehendiſſent, accenſus repente ſulphureus pulvis, cujus ibi magna vis erat, terrifico cum conatu aeris, ingentique fragore, ac ſtrepitu; & cum ſtrage propugnatorum turrim excuſſit. Tum de ſalute ſua Britanni deſperavérunt; timenteſque, ne capta vi urbe, nulla ſibi apud victores venia eſſet; in voluntariam deditionem conceſſerunt. Pactum in conditionibus eſt, ut captivi omnes eſſent, & pari numero Hiſpanorum redimerentur: adſtricti quoque ſacramento, ne quoad bellum eſſet, arma contra Hiſpanos ferrent. Velut acceſſio captæ urbis tres quoque bellicæ Britannorum naves, quæ in Penſaculæ portu erant, Hiſpanis deduntur. Ita virtute, ita fortuna ſua læti Hiſpani victoria ovantes domum redierunt, patefacta per immenſum terræ ſpatium dominatione ſua qua ad Orientem vergit.

CAPUT VII.

Hiſpani Gibraltariam ſimul, & Minoricæ arcem oppugnant: ad Gibraltariam parum proſpere res ſuccedunt. Minoricanæ arcis defenſores ad ſummam rerum anguſtiam adducunt.

QUo tempore hæc in America gerebantur, ad Gibraltariam interim, poſtquam auxilia ſuis Rodnevs advexerat, nuſquam ceſſatum ab Hiſpanis erat, ut arctiore in dies oppugnatione urbs ad deditionem compelleretur. Acriori itaque ſtudio quæ uſui bello eſſent ex proximis provinciis comparabant, quæ vel quaſſata, vel corrupta ab hoſte opera erant (crebris namque eruptionibus, tormentorumque vi obtinuerat) reficiebant, & majori navium numero, ut quotidianis egens commeatibus oppidum intercluderetur, mare cuſtodiebant. Angli quoque crebriores ſibi, denſioreſque munitiones facere in ea præſertim parte, quam promontorium Europæ appellant, & qua ab Septentrio-

ne

ne objecta hoſtium caſtra erant. Sita hæc haud procul a vico erant, quem S. Rochi vocant. Ab Gadibus interim quadraginta cum navibus Cordova profectus Hiſpaniæ, Galliæque oceanum percurrit, in id maxime intendens animum, ut Britannorum claſſi, quæ magno apparatu ſubſidia Gibraltariam ferre dicebatur, quam primum, atque opportune occurreret, confligeretque extemplo cum hoſte. Digbius namque Præfectus Anglorum, cui Europeæ claſſis imperium obtigerat, quinquaginta ferme naves, & magnum onerariarum numerum ducens in Hiſpaniam properabat, ut laboranti oppido ſubveniret. Paucos ante dies, quàm Gaditanum fretum intraret Anglus, jam Aloyſius in portum reverterat, qua opportunitate lætus hoſtis Gibraltariam cum commeatibus nullo impediente eſt ingreſſus. Fateor multa ſcribenti mihi obſcura occurrere, quorum nec cauſſam, nec rationem explicare facile poſſim. Profecto miretur quiſque tam facilem Britannis in Hiſpaniam tranſitum fuiſſe, neglectamque ab Hiſpanis pugnæ occaſionem, quam expetiſſe credebantur. Nam

neque morbo ullo claſſiariorum, aut commeatuum inopia, aut contumelia aliqua navium adductos fuiſſe accipio, ut Gades reverterentur. Fama fuit diu commoratum in oceano Aloyſium, ut expectata Gallorum ſubſidia acciperet, poſtquam auxiliorum ſpe decidit Gades recepiſſe claſſem, ne hoſtium numero opprimeretur. Hæc potior mihi cauſſa fit; alia fortaſſe verior, quæ me latet. Ingreſſi Gibraltariæ ſinum Angli cum deſcenſionem pararent facere, & onera primæ quoquæ naves depoſuiſſent, ex vicinis Hiſpanorum caſtris tanta extemplo ex majoribus tormentis ferreorum miſſilium vis; velut procella erupit; ut conſternarentur primo hoſtes, nonnullæ deinde naves multarentur, aliæ in portum invehi vetarentur ad exponendos commeatus; eademque vis quarumdam novæ formæ navium ope (quas *barche cannoniere* appellant) in hoſtium claſſem facta eſt. Parvæ molis navigia ſunt oblonga forma portantia ſingula in prora æneum tormentum unum, exiguitate, & agilitate ſua promptiora ad belli uſum, & adverſus vim tutiora. His pleriſque navi-

bus

bus in ſinum immiſſis deſcenſionem Anglorum parumper turbavere Hiſpani. Plus tamen trepidationis, quam cladis attulerunt. Tum in ruinam urbis, & ædificiorum ira obſidentium vertit; multaque cum ſtrage tectorum, aliqua hominum totum pene oppidum miſerabili incendio concremaverunt. Sed nihil inde utriſque levior oppugnatio fuit. Digbius perfunctus belli cura militum ſuppetias, & commeatuum aliorum quantum potuit, Minoricam miſit; incolumem deinde claſſem in Angliam reduxit.

Dum Gibraltaria oppugnabatur, ne uſquam quieſcendum Anglis eſſet, Minoricam quoque traſvectum bellum eſt. Crillonio Avignonenſi nobili viro, qui Maonis poſtea Dux, Minorica capta, appellatus eſt, terreſtris exercitus imperium, & hujus expeditionis cura demandata eſt. E Gadibus hic quatuor ferme cum navibus majoris formæ egreſſus, magno tamen onerariarum numero, quæ ad novem armatorum millia tranſvehebant, in inſulam trajecit. Nullus deſcendenti Hiſpano hoſtis apparuit; quod imminentis belli conſilia, & adventum

 Hi-

Hiſpanorum latuiſſe Oppidanos tradunt. Mirabilem dictu rem in tanta præſertim vicinitate gentium, cum fama belli citius, quam bellum transferri ſoleat! Fama quoque eſt Hiſpanis inſulam attingentibus tum primum palatos, trepidosque Anglos refugiſſe in arcem ad quatuor millia armatorum. Dum urbem, & S. Filippi arcem, quibus Marray præerat, terra, marique oppugnare Hiſpani parant, diverſæ ab Crillonio mittuntur militum cohortes ad parva caſtella occupanda, & ad inſulæ ſinus cuſtodiendos, ne a vicina Hetruria Britanni, ubi nonnullas in ſtatione naves habebant, obſeſſis ſubſidiarentur. Et in aſſiduo labore Hiſpanus fatigatur miles, ut cuniculis, aliiſque operibus perfectis prepediem expugnaretur urbs. Supra centum majora tormenta erant, quibus muros diſcutiebant, quorum vim, aliosque hoſtium conatus ut repellerent Angli crebras ab arce, urbeque eruptiones fecerunt ſtrenue incurſantes in ſtationes, atque opera Hiſpanorum, nullo tamen felici eventu: tantus in capienda urbe ardor animis, & in ſtationibus ſervandis cura Hiſpano

mi-

militi erat! Aliquandiu dilata deditio eſt, quod parvis ſæpe navigiis obſeſſis ſubmittebantur auxilia, quæ ut ad ſummam totius belli parum proderant, ita validiorum ſpem auxiliorum fovere, & tempus extrahere Anglos cogebant. Muri interim, ædificiaque majori in dies ruina proſternebantur; adeo ut admirarentur Angli machinatorum Hiſpanorum artem, ſcientiamque in eo bellicam. Nec jam ferro, & virtute plus hoſtium, quam volatico, & exterminatore igne ſubigi credebant. Hæc in Hiſpania eo anno.

CA-

CAPUT VIII.

Galli cum in Cæſaream inſulam armati deſcendiſſent urbem vano cum effectu tentant; commiſſo cum Anglis prælio magna cæde delentur.

At non æque felici inceptu Galli hoc anno in Cæſaream inſulam deſcenderunt. Privatorum Gallorum nomine expeditio facta eſt, claſſiſque imperium Rollecourtio datum. Maclaviopoli profectus ille Januarii menſis initio proſpere admodum in inſulam trajecit. Expoſitis deinde copiis vias undequaque, & aditus, qui ad urbem ducebant, clauſit; & Prætore inſulæ, qui in ſuburbana villa erat, capto, deditionis eum urbis conditiones ſubſcribere, & civibus imperare juſſit. Cunctabundus Prætor inſolentiam mirari ſermonis, & nullum ſibi captivo in liberam civitatem jus eſſe dicere, obſtinatuſque renuebat imperium. Tum deditio cuſtodibus arcis denunciata ab Gallis eſt; ſuccedenteſque deinde ipſi armati in muros ſtrenue ab

An-

Anglis ſunt repulſi . Concurſus interim ad Tribunum , Centurionesque , qui per ſtationes inſulæ diſpoſiti erant, a multitudine eſt factus , ut arma caperent. Pierſon , qui pro Prætore erat, urbanis, regiiſque militibus accitis , obviam fit hoſti. Ubi apparuere Angli præfidens ſibi Gallus arma ponere, & dedere ſe milites regios , inſulanos excedere pugna jubet . Sed Pierſon , *non voce , & minis bella gerere conſueſſe Anglos* dicere , *ſed virtute , corporibuſque : decertarent modo armis Galli , & cujus belli ſors populi fuiſſet , eum victoria potiturum .* Fit atrox prælium ; uterque dux in pugna cadit ; Galli ad extremum cæſi , captive ne nuntio quidem cladis relicto . Adverſæ rei famam cuſtodes Gallarum navium , qui in portu erant , celeriter inde fugientes in Galliam pertulerunt.

CAPUT IX.

Prætor Gallicæ claſſis Graſſe ex S. Dominico profectus in continentem Colonorum trajicit, partemque copiarum exponit: ſupervenientibus cum claſſe Britannis, obviam fit hoſti: commiſſa deinde pugna clara victoria potitur.

ANgloamericani poſtquam maximas ab Gallia terreſtres, navaleſque copias veniſſe cognoverunt; partem earum Rodo in inſula eſſe; partem, multóque validiorem ad S. Dominicum inſulam ſtare, inſtructaſque eaſdem, & paratas bello inferendo eſſe, conſilio cum ſociis inito, comparaverunt inter ſe, ut in continentem Galli cum navibus appropinquarent, & terreſtres Colonorum expeditiones tuerentur (nam Britannicis navibus turbari poterant) ſi qua præterea navalis pugnæ occaſio offerret ſe, extemplo cum Anglis, & de maris imperio decertarent. Ita maris ejus poſſeſſione Britannis erepta, civitates, quæ ſub ditione Britannorum eſſent, auxiliis ex-

excluſuros ſe, & quas ſuperiore anno amiſerant, facilius recipi poſſe. Ab Rodo interim inſula in continentem major copiarum numerus trajectus eſt, ut conjungerentur Gallis, quos Graſſe ex majoribus Antillis portaturus erat. Hoc conſilio probato Graſſe Comes ex S. Dominici portu (*capo Franceſe* ipſi vocant) quamprimum potuit, claſſem ſolvit, & in continentem Colonorum curſum advertit. Inſidiaturus onerariarum Anglarum navium claſſi, quæ Floridiano in mari eſſe credebatur, Bahamæ periculoſum fretum eſt prætergreſſus. Poſtquam ibi nullam hoſtium navem invenit, pergit protinus navigare ad ſinum Cheſapeacchi, quo terra, marique aptius adjuturum ſe ſocios arbitrabatur. Præmiſſa moneri, quæ Vaſingtonio, & Roſciambò nuntium ferret de adventu ſuo, ſinum ipſe ingreſſus militum deſcenſionem parat, tutamque navibus ſtationem, in id maxime intentus, ut ſi Britanna claſſis, quæ venire dicebatur, apparuiſſet, ſine mora, apteque congredi poſſet. Antequam tamen omnes in continentem copiæ deſcenderent, Britannarum navium

Præ-

Prætores Graves, atque Hood crebris arceſſiti literis, ut ſuppetias in tanto periculo ſuis ferrent, proſpero ab ſeptentrione vento haud procul inde acceſſerunt. Et Gallus ad famam adventantis hoſtis Cheſapeacchi ſinu egreſſus ſuperior aliquanto numero navium robuſtiores in fronte locat. Burganvillem primo agmini cum præfeciſſet, pugnam ipſum laceſſere, & tenere hoſtes juſſit, dum navium ordines explicarentur. Naves igitur, quæ utramque antecedebant claſſem, velut ad prœlii experimentum, primo inter ſe concurrerunt, confluxere deinde aliæ in ſuos ordines, atque univerſæ pugnam capeſſiverunt. Atrox ita prælium fuit, & pari ſpe victoriæ ſuſceptum. Sed non diu anceps fortuna ſtetit, inclinavitque haud dubie ad Gallos: adeo ferox eorum virtus, & primo impetu inexuperabilis Britannæ eo die diſciplinæ præſtitit! Galli namque cum in hoſtium ordines ſeſe inſinuaſſent, nonnullas afflixere naves eorum, & turbaverunt Britannorum aciem. Adeo autem in conflictu vel fœdatæ horum naves, vel mutilatæ ſunt, ut aliquæ pugna

gna

gna abſceſſerint ; unam tormentorum ictibus perforatam, ſublatis rebus, Britanni incenderunt, ne ab hoſte caperetur. Mox fugam ſpectare Britanni, & in ſuos portus curſum accelerabant. Cedentes Galli primum inſecuti ſunt; reflante deinde vento ſubſiſtere a perſequendo hoſtem, atque in Cheſapeacchi ſinum læti, & cum ſui moris tripudiis ſeſe reduxerunt. Satis conſtat hanc Gallorum victoriam libertati Colonorum, & imperio maxime profuiſſe. Exturbati namque poſſeſſione maris ejus Angli, nec ſuppeditare deinde ſociis auxilia, nec obſtare conſiliis hoſtium potuerunt; & quæ deinde acceptæ calamitates ſunt præcipuam hinc cauſſam creduntur duxiſſe.

CA-

CAPUT X.

Galloamericani, validis contractis viribus, ex nova Jorka profecti in Virginiam illaturi bellum aliquot dierum ſpatium reficiendarum copiarum cauſſa Philadelphiæ commorantur. Dato Senatu primoribus Gallorum, orationem Roſciambò de novo fœdere, deque continuando bello habet: Senatus Princeps Prætori Gallo reſpondet.

DUm hæc ab navalibus copiis geruntur Angloamericani interim, Gallicis acceptis auxiliis (nam in Virginia Fajette, & in nova Anglia Roſciambò Colonis ſeſe conjunxerant) duabus ſimul provinciis bellum gerebant. Multum enim publicæ cauſſæ intereſſe Galli credebant, ne ab amicitiæ fœdere Coloni deſciſcerent, qui diſtractas Britannorum vires, & occupatas tenebant: ad perficiendum autem bellum incitandos eos, & opportunis auxiliis ſuſtentandos, ne a præpotente hoſte opprimerentur. Abunde quoque ad manum copias Coloni habebant, nova juvenum ſobole excita

ad

ad bellum, vetereſque ſuppleverant legiones ex variis accolarum, auxiliorumque generibus. Colonorum conſilia ad Cornvallem maxime opprimendum verſa erant. Miſſus hic a Clintonio erat ad Virginiæ civitates recipiendas, quæ defecerant ab imperio Britannorum; validuſque ei Anglorum militum numerus, & mercede conductorum Germanorum attributus erat. Carolina namque ſubacta, continuare veluti per gradus poſſeſſionem placuit, Virginiamque tentare, quæ Carolinæ confinis eſt: ita & facilior Britannis, & duratura poſſeſſio videbatur. Id autem Britannorum conſilium Colonorum magis acuebat animos, ut nulla ex parte ceſſarent, donec ſervitutis periculum propulſaretur. Satis militum, Gallorumque auxiliorum in Virginia erat, qui defendere bellum poſſent: renaſcens in meridionalibus provinciis nomen delere Anglorum, & ipſo rerum principio opprimere hoſtium conſilia volebant. Inceptus celandi cauſſa bellum ſimulare in nova Yorka, & occupationem Clintonio injicere ſtatuunt: ita ad ſuum magis periculum

Digitized by Google

intentum eum, quam ad Collegæ fore. Nec ſpes fefellit eos. Magnum Colonorum numerum ad Nevv York (urbs ea eſt, quæ provinciæ nomen dedit) armatorum coegerunt per ſpeciem expugnandæ urbis, revera ut diſtractos tenerent hoſtes, liberumque ſibi in Virginiam iter expedirent. Clintonius primo impigre parare bellum, & finibus ſuis excurſiones arcere, & prævalidum viribus hoſtem diu continuit: fraudem deinde Colonorum, & conſilia nudavit, minime tamen opportuno tempore. Moverant enim illi non die, non nocte intermiſſo itinere ab nova Yorka copias, atque ad amnem Delavarem, duce Vaſingtonio, & Roſciambò, ſumma alacritate contenderant. Ibi paullum commorati, dum copiæ trajiciuntur, Philadelphiam inde pergunt, quibus effuſa civitas adventum gratulans feſſis quietem militibus, ſed non diuturnam dedit. Introducti in Senatum primores Gallorum ſunt ad ſanciendam gentis amicitiam: poſtquam autem ſalutationibus, mutuiſque benevolentiæ officiis perfunctum eſt, Roſciambò ad confirmandos in novo fædere, bel-

belliqueque propoſito, Patrum animos in hunc fere modum eſt allocutus; *Nec alius mihi jucundior iſto dies ſit, P. C., quo vos Americanæ Reipublicæ lumina in hanc curiæ veſtræ amplitudinem, & majeſtatem conveniſſe video; nec meliorem alium militiæ, laborumque meorum fructum expectem, quam ut captam ſemel libertatis veſtræ poſſeſſionem, ad quam fauſto vos Galli omine vocaverunt, ſtabilem tandem, ac certam, & per nos ipſos confirmatam obtineatis. Omnia namque vel a fortuna, vel ab hominibus mereri mihi videmini, cum incredibili virtuti veſtræ parem vos ſapientiam conjunxiſſe video. Ac neſcio utra illarum major, & ſplendidior in vobis fuerit, utraque certe, vel belli, vel domi præcelluiſtis. Ecquis enim vel inceptum veſtrum reputet, quo externi, & importuni dominatus jugum exueritis, vel propoſitum veſtrum, quo adverſus præpotentem hoſtem defenderitis libertatem, vel ſalubre denique conſilium, quo maximi Regis patrocinium imploratum ſit; & in his objicere poſſit aliquid, quod non fortiter, audacterque a vobis, non perſeveranter, non cum ſumma prudentia*

 ſit

ſit factum ? Illud vero primum in laude veſtra ponetur , quod multis conflictati anguſtiis , periculiſque nunquam a voluntate veſtra receſſeritis ; nullus unquam triſtior eventus ab incepto veſtro vos deterruerit , utraque ſemper vel adverſa , vel læta fortuna fortes . At non ſapienter minus patriæ conſultum eſt cum inteſtina inter vos bella , ſpretis Anglorum terriculis , extinxiſtis , & adverſos fidei Gallæ rumores compreſſiſtis ; tales namque nos fore ſperaſtis , quales jusjurandum , & fides , Gallici imperii dignitas , & majeſtas præſtare recte debebat : qua fortitudine animi & ſeditioſorum hominum conſilia , quæ ad hoſtes trahebant , & hoſtium ſimul ſpem præcidiſtis , majora quoque ab Gallis , quos fidei exemplo provocaveratis , auxilia promeruiſtis . Quid mirum inde , ſi ſors quoque armorum egregiam virtutis veſtræ indolem , & hominum de vobis judicium favore proſecuta eſt ? Tantam igitur ſeu felicitatem , ſeu virtutem veſtram , P. C. , vobis , & propter vos Gallicæ quoque genti gratulor ; nobis ; quod tam bene labores , militiamque noſtram poſuerimus pro libertate veſtra ;

ſtra; vobis, quod digni ſitis, ut fortuna, hominesſque trepidis in rebus opitulentur. Nunc vero veſtra, & ſociorum ſpe erecti nuſquam ceſſare debetis, P. C.; ſocii quoque veſtri nullum alium laboris finem impoſituri ſunt, quam conſtituta libertate veſtra, atque imperio. Ipſe equidem, qui Galli quodammodo legati vice fungor, Gallus certe Imperator, & regiorum conſiliorum conſcius hoc fore vobis promitto; ut auxiliis ſubminiſtrandis nunquam defutura Gallia ſit, & perpetua cum vobis ſocietate commune geſtura bellum, donec victoriæ confeſſio exprimatur hoſti, priſtinaque vobis tranquillitas, & commercium cum imperio reſtituantur. At ut ita ſint hæc, & libertatem per vos Galli, & imperium obtineamus, quæ merces vobis, aut remuneratio tanto digna beneficio ſtatuenda ſit? Fortaſſe hoc dicet aliquis vel Anglorum calumniis deceptus, vel Gallici moris ignarus, qui ſibi ab amico timere magis, quam ſperare conſueverit, qui nullum virtutis uſquam, amicitiæque, & humanorum officiorum exemplum putet eſſe. An ſi ego fabulas, & antiquas hiſtorias revolvam, nonnullos Reges, populoſque inveniam,

 qui

qui humanitatis inſtinctu ducti bella ſuſceperint non ut aliis dominarentur, ſed ut tranquillitatem, aut libertatem gentibus darent, & Seſoſtrim illum Ægypti Regem; Græcaſque aliquando Reſpublicas enumerare poſſim, & non ſemel etiam populum Romanum, hoc de Gallis negandum omnino quis dicat, qui ſi omnia exempla deeſſent, poſſent tamen ſuis inſtructi originibus hanc ſibi gloriam vindicare. Vix aliquam in Europa gentem invenientis, P. C., quæ vel per Gallos tranquillitatem aliquando non ſit adepta, vel per eoſdem imperium non acceperit, aut libertatem. Multitudine populorum, opibuſque pollens Gallia externos minus, & remotos dominatus appetit, quam ne quis potentior ſit, ut aliorum libertati officere poſſit. Hinc tot bella ſuſcepta, fortiterque per nos geſta; ut vere Gallicum imperium totius orbis patrocinium appellari poſſit. Miretur quis nunc veſtræ favere Gallos cauſſæ, & adverſus eum hoſtem, qui nec injuriis unquam, nec imperio modum fecerit, vobis ſuppeditare auxilia, & implorantibus ferre opem. Quod ſi aliæ quoque nobis cauſſæ fuerunt veſtræ ineundæ

ſo-

ſocietatis, P. C., non inficias eo eaſdem nobis fuiſſe, quæ vos ad arma concitaverunt; ſuperbiam ſcilicet Britannorum, & immodicam dominatus cupiditatem, qua liberis civitatibus adverſantur, qua cæterarum gentium conditionem migrare, & omnia ſuæ poteſtatis implere fas eſſe cenſent. Quæ igitur nobis impoſita eſt, eadem vobis neceſſitas belli fuit; quo liberæ tandem navigationis, & commercii jura, vobis inſuper libertas, & imperium vindicandum eſt. Quod ſi unquam liberandæ patriæ tempus optaſtis. P. C., nunc illud eſt ſociorum fide vobis, & veſtra fortuna datum, quo concordia veſtra adverſus inteſtina certamina tuti, adverſus hoſtem cauſſa, & opibus ſuperiores eſtis. Nam & ab Rodo valida ad vos auxilia venerunt; & a majoribus Antillis validiora ſtrenuo ſub duce venient, quæ terra, marique finibus veſtris arcebunt hoſtes, & Colonorum expeditiones protectura ſunt. Abundantibus opibus, arridente fortuna belli debellare vos omnino oportet, & veſtram in æternum fundare majeſtatem. Ad ea, quæ propoſito veſtro facturi eſtis ſocii quoque nos voce, & exemplo incitamus;

ut victoria veſtra nobis , tanquam militiæ noſtræ fructu lætari, & frui tandem liceat, vobis autem beneficiis noſtris. Ad longam, paratamque Galli ducis orationem Americani Princeps Senatus reſpondit ; *maxime Senatui ejus orationem fuiſſe gratam, qua fidei, amicitiæque Gallorum præclara teſtimonia attulerit : bonum , atque amicum ſocium egiſſe ſe Ludovicum Regem erga Senatum , populumque Americanum, munificum quoque , ac ſolicitum de libertate eorum , quos crebris exhortationibus , auxiliiſque ad eam diem juverit , ac ſuſtentarit . Probe noſſe Americanos tanto ſe beneficio pares gratias referre non poſſe ; maximas tamen , atque æternas habituros eſſe . At in ea orationis tuæ parte , qua de perficiendo bello mones , benevolentiam erga nos tuam , Dux , & ſtrenuam Gallorum indolem , & fidelem voluntatem agnoſcimus ; in quibus , ſi alias fortaſſe vinceremur, nunc certe cum imperium, & noſtra libertas agatur , vinci nulla ratione debemus; ne ſociis pariter, ac nobismetipſis deeſſe videamur . Speramus equidem tam ſtabili , & communi fide gerentes bellum id effecturos eſſe ; ut læta Reſpublica auxilio*

xilio Gallorum in æternum futura ſit; vos munus veſtrum bene poſuiſſe, nec unquam deinde ſocietatis noſtræ pœnituiſſe videamini. Poſt hæc dimittitur Senatus, exceptique publico hoſpitio Galli, munificeque iis, quæ vel ad uſum, vel ad cultum pertinebant, ſuppeditata ſunt.

CAPUT XI.

Motis a Philadelphia caſtris Galloamericani ad Cheſapeacchi primo ſinum deſcendunt ; cum deinde accepiſſent Cornuallem metu hoſtium incluſiſſe ſe cum exercitu York-Tovvni, ad oppugnandam urbem pergunt . Cum diu preſſa obſidione urbs eſſet , & ſero in auxilium Clintonius veniſſet, urbs cum defenſoribus Colonis deduntur . Amiſſa ita Virginiæ poſſeſſione Clintonius Georgiæ urbes præſidiis firmat , quod proximæ bello eſſent .

MOverunt deinde ab urbe copias ; & proſecuti proficiſcentem exercitum primores civitatis , præter multitudinem , qui proſpera omnia ſibi proponentes animis fauſtum precabantur iter, & fauſtum cum victoria reditum. Patenti deinde haud procul ab urbe campo aciem inſtruxiſſe ferunt, ut ſuas ipſi noſcerent vires , facerentque læto ſpectaculo earum feroci juventuti animos . Voluntarios in primo maxime Gallos , con-

conductaque auxilia locaverunt : mediam habebant aciem Galli , quod robur copiarum erat , admixtis veteranorum Colonorum cohortibus , poſtremum agmen claudebat legio Colonorum, latera equitatu tegebantur . Ad ſexdecim millia hominum erant poſtquam ex viciniis agris, viciſque Colonorum turba convenerat . Exercitu luſtrato viam alacres ceperunt ; quocumque autem perventum eſſet numerus juniorum conſcribebatur . Tandem ad Cheſapeacchi ſinum , atque ad eam partem , quæ minus a Philadelphia diſtat, caſtra ſubſtituerunt . Ibi literis ab Graſſe acceptis cognoverunt pugnaſſe cum Anglis eum navali prælio, claramque ex hoſtibus victoriam retuliſſe : partem quoque copiarum , quas ab Europa tranſportaverat , deſcendiſſe in continentem , & exercitui Colonorum , qui in Virginia bellum gerebant , ſeſe conjunxiſſe . Id non minus lætum Americanis fuit, quam de ſua victoria fuiſſet: quippe intellexerunt Cornvallem compulſum in eum Virginiæ angulum, qui ab Yames , & York fluminibus peninſulæ modo cingitur , interclusumque

pro-

procul ab ſuis, procul ab omni ſpe auxiliorum ægre trahentem bellum. Cornvallis enim, poſtquam de navali victoria Gallorum accepit, ratus non poſſe in aperto vim ſuſtinere hoſtium ad oppidum Yorck Tovvn, velut ad hoc munitum natura locum, conceſſerat, valloque, & munitionibus extremam tutari ſpem ſorum inſtituit, & Britannici imperii majeſtatem. Nam neque ullo modo erumpere inter tot armatas, denſaſque hoſtium legiones poterat; nec locis undique infeſtis copia dabatur Clintonio ſeſe jungendi. Validum tamen ab eo crebris literis auxilium petierat, & ut in tempore ſubveniret. Sed deſperatiores in dies res erant, & cum omnia circa ruerent, labefactata ſemel fortuna Brittannorum ad ultimam cuncta trahebat perniciem. Clintonius, audito periculo Virginiani exercitus, nihil prævertendum ſubſidio ſuorum ratus preſidia ex quibuſdam locis deduxit; veteranarum copiarum partem, & quoſcumque rem Britannam ſalvam eſſe velle crederet, arma ſumere pro patria, & Nevv York convenire edicto juſſit. Exiſtimabat enim, ſi tar-

ſi tarda Americanorum indoles paullifper victoriam remoraretur, & nimis vividus evaneſceret impetus Gallorum, opem ſe laborantibus Anglis ferre poſſe. Magna multitudo juvenum ad nutum Imperatoris præſto fuit, quos ille ſpectatæ virtutis ſelectos ad octo millia armatorum explevit. Cum his copiis, & viginti ferme majoribus navibus, quibus Graves præerat, Sandiocio ex portu ſolvit, & quantum accelerare potuit ad Cheſapeacchi ſinum contendit. Sed eos opportunum, ſi in tempore adfuiſſent, auxilium, uno poſt die, quam deditio ab Cornvalle eſt facta, perveniſſe ferunt in Virginiam. Americani namque admixti Gallis Gloceſter urbem York Tovvno proximam, & ipſam York Tovvn, quo ſe Cornvallis incluſerat, duobus ſimul exercitibus oppugnabant. Ut in poteſtate York flumen haberent, poſtquam læva amnis ripa potiti ſunt, trajicere ad dextram tendunt. Ibi plurimum laboris fuit, dum trajectus difficultatem, & vim hoſtium, qui ripam defendebant, ſuſtinere cogebantur: ſumma tamen virtute, ac pertinacia connifi poſt longum ad-

admodum certamen, & ſuperaverunt flumen, & averterunt hoſtium copias. Tum Cornvallis, externis munitionibus, quas tutatus erat, relictis, breviori operum circuitione tueri ſe inſtituit, dum expectata auxilia venirent. Et ea ipſa adventantis Clintonii fama ſtimulabat Colonos, ut ad effectum operis feſtinarent. Multos tamen dies claudenda undequaque urbe, operibuſque perficiendis conſumſerunt. Tum prælia crebriora facere, & per muros aliqua ex parte diſcuſſos penetrare in urbem tentant: Ibi Cornvallis, poſteaquam humana omnia incommoda ſui perpeſſi milites eſſent, nec aliquid ſibi ſperandum ab ſociis eſſe; & ſi traſcendiſſent armati in urbem, hoſtes fore, ut omnia cæde, & ſanguine complerentur, ſuos in concionem advocavit; (varias enim eos agitare opiniones ſciebat) quos ut præſentes habuit vix lacrymis temperans, *Nec timida*, inquit, *neque inconſulta oratio mea videri debet, ſi ſortem veſtram extimaveritis, & hoſtium conditionem. Quippe clauſi intra muros urbis hujus, oppugnati extrinſecus ab Gal-*

lo-

lorum ſimul exercitu, & Colonorum; ad hoc multis conflictati anguſtiis, & inopia cibariorum exhauſimus jam cuncta, quæ vel natura, vel virtute humana incommoda tolerari poſſunt: ad extremam hinc adducti deſperationem auxiliorum, quæ ſuſtentabat animos noſtros, non vis hoſtium magis, quam non intermiſſus labor, & continuæ vigiliæ nos ſubegerunt. Si ſtulta igitur pertinacia deditionem diſtulerimus, quid expectare aliud oportent, quam capta ferro urbe, trucidari ab hoſte; liberis autem veſtris, uxoribuſque inter ſtragem urbis, & incendia ſimul eſt pereundum. Nunc vero ſi non æquis, tolerabilibus ſaltem conditionibus pacem obtinebimus: urbem, quæ defendi unum, aut alterum diem poſſit, velut dono dantes, & mercedem aliquam accipientes ab hoſte. Hæc una ſalutis veſtræ conditio eſt, nihil æquiorem reſpuentes ſortem habebitis; incendio, ſi non fame, ærumnis, ſi non bello perituri eſtis. Murmur ſub hæc dicta Prætoris in concione ortum aſſentientium aliorum, aliorum negantium id committendum eſſe, ut quibus ipſi leges dederint nunc dedititii dominos habeant;

& oc-

& occumbere honeſta morte potius Britanno milite digna, quam tantum dedecus pati: id quoque patriæ convenire diſciplinæ, exemplumque futurum poſteris, ne plus vitam, quam gloriam appetant. Major pars manebat in ſententia Prætoris, quibus opportuna potius, quam vana, & fanatica virtus placebat. Permulcere itaque ſuis ipſi vocibus feroces juvenes; nunc inſaniam increpando, nunc conjugum, liberorumque mentibus eorum objiciendo cladem, quibus crudelius ipſi, quam hoſtes conſulerent. At Prætor; *utinam, milites, iſtud ego virtutis veſtræ ſpecimen, quod verbis laudo, probare factis in præſentia poſſem. Ille enim ego ſum, qui nec periculis unquam, nec laboribus pepercerim, ut commodis inſervirem patriæ. Fallaci nunc vos virtutis imagine decipi non ſinam, quæ, ſi vera eſſet, ad me pertineret maxime, cui Reſpublica commiſſa eſt. Profecto quem ego utiliter ſanguinem, vitamque militum dederim, hoc recte tribuitur patriæ: ſi furore ductus, vel vanæ gloriæ ludibrio cives perdiderim, repetet illa a me, & ſuo jure vindicabit.* Confuſæ hic denuo multitudinis

diis voces, fortunam aliis, alia aliis incuſantibus, velut tantæ calamitatis cauſſas, & crebra ſuſpiria, tanquam conſtrictis neceſſitate animis, exaudiebantur. Cum aliquantum reſediſſet impetus animorum, tum Prætor; *nulla in ſortem*, inquit, *querela veſtra ſit, milites, quod coeca plerumque illa eſt, & virtuti adverſaria, nec aliam, præter ſortis arbitrium, cauſſam putetis eſſe calamitatis veſtræ. Vos autem ærumnarum, fortunæ fluctibus immerſabiles ſereniores expectate dies utilem patriæ operam daturi. Nunc quæ neceſſitas cogit pati æquanimiter in animum inducite, dura equidem militari ingenio, leviora tamen futura vobis, ſi cogitetis non ex virtute magis, quam ex fortitudine, & patientia ſæpius peti laudem*. Poſtrema hæc Cornvallis verba pertraxerunt multitudinem, ut diceret fore ſe in auctoritate, atque arbitrio Prætoris. Tum oratores miſſi in caſtra ad Vaſingtonium, & Roſciambò, qui de tradenda urbe paciſcerentur. Aliquandiu inter hoſtium duces, & Britannos agitatæ conditiones ſunt, utriſque tandem belli finem ſpectantibus

ita convenere ; *urbem cum omnibus ſimul armis , & quæ publico nomine poſſiderentur Britanni traderent victori : præſidiarii , & quicumque Britannorum fortunam ſequi vellent cum ſuis quiſque rebus Nevv Yorck ſine dolo malo navibus trajicerentur ; belli gerendi captivis jus ne eſſet , donec permutatio fieret* : & ſimul in conditionibus pactum eſt , ut Glocester præſidium traderetur . Locum aſſignari placuit , ubi præſidium commoraretur , donec deportaretur in Britannicam continentem . Ita in Virginia debellatum ab Angloamericanis eſt non fortunæ minus , quam raro virtutis exemplo . Apparuit autem pluris libertatem , quam imperium homines facere ; nullumque acriorem ſtimulum animis eſſe , quam ſuæ cuique ſalutis , & patriæ . Virginia in poteſtatem Colonorum redacta nulli dubium erat , quin extemplo exercitum in Carolinam intromitterent , & Carleſtonium oppugnarent ; jam inde in ejus expugnationem incumbentibus Colonis ; & fruſtra id ipſum ſuperiore anno conatis , quo Clintonii opera propulſatum ab urbe periculum

erat

erat. Et Clintonium nunc rubor inceſſit, ne ab ſe capta, ab ſe conſervata urbs, velut ſpectante ſe, expugnaretur. Miſit itaque firmum eò præſidium Britannorum, & commeatuum, quod ſatis eſſet, ad diutinam obſidionem. Nec Georgiæ oblitus, in qua Savanaacca eſt, validum muris, ſituque oppidum, eoque inſidiis mágis objectum, & belli periculis. Cum hyems deinde inſtaret Britannæ naves in hiberna ad Antillas conceſſerunt: idem mox Gallæ fecerunt, atque in Martinicam reduxerunt ſeſe.

CAPUT XII.

Cum ad Jamaicam occupandam magnæ Galliſpanorum claſſes ab Europa in Americam navigarent; fœda tempeſtate multatæ Gallorum naves in Galliam revertuntur: Hiſpanæ in Hiberniam averſæ ad ſpem ſeditionis Hibernorum, irrito inceptu redeunt in Peninſulam.

DUm hæc a Colonis partim æſtate hac, partim deſiſtente autumno geſta ſunt, Penſacula expugnata Hiſpanorum curam ad majus, difficiliuſque belli certamen avertit. Jam inde adverſus Jamaicam deſtinatum ab his bellum erat auxilia Gallorum accepturis; quod Britannorum in America emporium ea inſula credebatur: & ea ipſa in medio poſita inter utramque ſeptentrionalis Americæ continentem perpetui materiem belli præbebat: exinde armatæ Anglorum manus ſœpe trajecerant in Mexicanas provincias, multaque ab eis occupata loca: ad hoc graviores Hiſpanorum commercio cœperant eſſe, ſeditioneſque in

in Granatenſi provincia fovere, quæ ſuſpenſos aliquandiu animos Hiſpanorum inter popularium motus, & turbas tenuerunt. Jamaicano bello in Europa ſimul, atque in America decreto, retardata expeditio eſt, dum ab Europa navium, militumque auxilia venirent. Iiſdem igitur fere diebus & a Breſtia cum quinque, & viginti majoris formæ navibus Guichenus ſolvit (in Galliam hic onerariarum claſſem redegerat ex Antillis) & a Burdigala minoris formæ naves aliquot; bellicæ tamen omnes profectæ in Americam ſunt, ut Guicheno conjungerentur. Hæc Gallorum, tamque valida auxilia ubi Hiſpanis ſeſe junxiſſent, uno animo, conatuque petitura erant Jamaicam. Vectoriarum navium utraque claſſis Gallorum magnum numerum protegebat; jamque in altum progreſſæ opportunam aliquandiu navigationem ſunt nactæ, cum ſubito fœda tempeſtas coorta naves diſſipavit; & eadem utriuſque claſſis fortuna fuit. Onerariæ nonnullæ naves ab Anglis ſunt captæ, inſidiis favente nebula, quæ rerum ademerat conſpectum; majorque accepta cla-

clades ab Gallis foret, ni intercurſu bellicarum navium impetum hoſtium cohibuiſſent. Repetentibus deinde in Americam curſum Gallis, nova, ſæviorque tempeſtas non diſſipavit modo claſſem, ſed alias male multavit naves, alias etiam, quæ milites portabant, fœdiore caſu demerſit. Cum nec duplicem jacturam navium, & copiarum, nec longam in Americam navigationem pati Galli jam poſſent in Europam ad nauticos maxime reficiendos, claſſemque reparandam ſeſe reduxerunt. Hæc Gallorum calamitas totius adverſus Jamaicam belli vires, & conſilia turbavit. Et Aloyſius Cordova, qui ex Hiſpania cum ſupplementis militum ſolverat in Americam, audita ſociorum clade, redituque eorum in Galliam, inutilem ſibi navigationem ratus in Peninſulam eſt reverſus. Nec aliud ab navalibus Hiſpanorum copiis memorabile eſt actum; niſi quod æſtate anni hujus Britannicum fretum ingreſſi terrorem Angliæ præbuerunt, occidentalibus præſertim inſulæ litoribus, qua anguſto freto ab Hibernia dividitur; eo progreſſi ſi qui forte motus ab Hibernis

ex-

excitaretur. Audierant enim Britannicis eos magiſtratibus valde infenſos eſſe; quod graves ſibi ab Concilio Britannorum leges injunctas crederent. Pacata tamen omnia, & tranquilla in inſula cum reperiſſent, inſtante æquinoctio autumni, Gades, quo venerant, reverterunt.

CAPUT XIII.

Galli in America S. Chriſtophori inſula potiuntur : Jamaicam deinde tranſlaturi bellum, duce Graſſe, ex Martinica in S. Dominicum, ubi in ſtatione Hiſpanæ naves erant, proficiſcuntur. Rodneys Gallos inſecutus ad minores Antillas cum iis congreditur. Magna Anglorum victoria, fugaque Gallorum, luctuſque in S. Dominici urbe ex accepta clade deſcribitur.

1782.

INſequens annus, qui fuit ab humana ſalute condita milleſimus ſeptingenteſimus octogeſimus ſecundus, multas, variaſque, & memoratu dignas res, & cauſſam pacis tulit. Sed ea non tam tranquillitatis, & otii deſiderio parta eſt, quam quod ad ſua quique conſilia fruſtra populi cum tetendiſſent, inutilem ſæpe prudentiam experti tœdio longioris periculi averſati tandem bellum ſunt. Galli primum ex Antillis profecti nonnullas Batavorum Colonias, quæ in Britannorum poteſtatem venerant, armis receperunt, eaſque

ſumma cum fide reddiderunt Batavis; S. Criſtophori deinde in inſulam deſcenderunt, fugatis Anglorum copiis, quæ litus cuſtodiebant. Difficilis admodum expugnatio urbis fuit; nec ante deditio eſt facta, quam novo prælio Galli, Anglique inter ſe congreſſi (deſcenderant enim hi in auxilium ſociorum) novaque Galli victoria potiti ſunt. Et plures, levesque inter navales utriusque gentis copias pugnæ fuerunt haud multa cum jactura partium. Obtinuerunt tandem Galli, ut deſperarent de inceptu ſuo Angli; mox, ſociis relictis, in Antillas reverterentur. Tum urbs omnisque ſimul inſula in ditionem victoris conceſſit. Validæ admodum in America navales Galliſpanorum vires erant, quod aliæ ex Hiſpania, Galliaque naves miſſæ, aliæ in Americanis provinciis novæ ædificatæ erant. Tum comparaverunt inter ſe Galliſpani duces, ut quamprimum duorum populorum vires conjungerentur. Gallorum claſſis, cui Graſſe Comes præerat, ad Martinicam ſtabat. Profecturus hic in S. Dominicum inſulam, (majorum Antillarum una eſt) ut Solano

Præ-

Prætori Hiſpanorum jungeret ſe, naves, quæ variis inſularum in ſtationibus erant, ut certa die convenirent edixit; poſteaquam omnes convenere, movit ipſe ab Martinicæ portu cum claſſe quinquaginta navium bellicarum. Dum in majores Antillas Galli navigabant, in S. Luciæ portu Rodneys erat cum ſexaginta majoris, minoriſque formæ navibus. Is cum accepiſſet Prætorem Gallum ex Martinica in S. Dominicum parare profectionem, ut junctis ibi Hiſpanorum, Gallorumque viribus maritimis, communi deinde conſilio pergerent ad oppugnandam Jamaicam, ſtatuit quamprimum cum Gallis congredi, priuſquam hoſtium vires conjungerentur. Forte ita accidit, ut paucis ante horis Galli ſolverent ex Martinica, quam ex Luciano portu Angli. Inſtare itaque tergo Rodneys, & ubi conſecutus prægreſſos eſſet, ſtatim cum Gallis confligere, vel ſi recuſarent, cogere ad pugnam eos in animo habebat. Gallus vero, quod numero navium inferiorem cernebat ſe, neque a belli conſilio abduci vellet, pugnam evaſurus, difficilem quoque

la-

laceſſenti facturus hoſti tenui agmine, & denſarum illum Antillarum prope legens tractum alterum claſſis latus tegebat, robuſtiores, & maximæ formæ naves ab altero opponebat hoſti. Nimis cautum hoc Prætoris conſilium nonnullis viſum eſt, quidam etiam timiditatem vocabant; credebantque proſpero cum ſucceſſu ſe pugnare poſſe, quod non multo inferiores viribus Britannis eſſent: horum autem nonnullas naves putres, & inutiles ad navigationem, nedum ad pugnam eſſe, nonnullas variis caſibus afflictas, quæ ſpecie quidem augerent numerum, nequaquam tamen aliquid opis allaturæ. Vicit obtrectatio militum ferocem magis, quam prudentem ducem; & jam, ſi occaſio ferret, non recuſaturus pugnam videbatur. Quod vectoriarum navium magnum ſecum numerum ducebat, tutela earum bellicas in curſu naves aliquando remorabatur. Duæ Britannæ naves ad extremum hoſtium agmen cum appropinquaſſent, bellicam navem Gallam, quæ remulco trahebatur, & ægre ſubſequebatur claſſem, extemplo ſunt adortæ. Jacturam unius navis non

ſu-

ſuſtinuit ferox Gallus ; cumque duæ unam oppugnantes navem mox certo capturæ eſſent , avertit retro Graſſe Prætoriam navim, quæ maximæ formæ erat, ut ſuis auxiliaretur , propulſavitque præſens periculum . Et duæ quidem Britannæ naves recipiebant ſeſe ad claſſem , cum Rodneys adveniſſe tandem occaſionem pugnæ ratus , naves , quæ prælio abſceſſerant , agilioreſque ſimul arceſſens ſecum in hoſtem duxit ; cæteras ſubſequi naves , & dirigere in frontem juſſit. Exiſtimabat enim, ſi Gallum ipſe Prætorem cum his navibus adoriretur , cæteras quoque Gallas confeſtim concurſuras in pugnam , ut opem duci ferrent. Tum explicuere utrinque acies : ſupra Galli, favente ab oriente vento , infra Britanni conſtiterunt : & ſimul pugna commiſſa eſt . Sed nequaquam utriſque idem ardor, & habitus animorum erat. Gallorum Præfectorum quidam, quos ducis, & pugnæ temeritas offendebat, certamen detrectabant; incerti quidam utrum duci ſuo ferrent opem, an ſalubriter abſtinerent pugna, minime opportuno tempore inter diverſa conſilia nutabant; ma-

xi-

xima pars ducis ſortem ſequebatur. Et primo quidem inter præcurſores Britannos, & quaſdam naves Gallorum, tota deinde pugnabatur acie, cum extremi agminis Britannici naves, quæ leni ductæ vento lentius progrediebantur, pugnam capeſſiverunt. Acrius hinc recrudeſcere prælium, & ſuperior vis Anglorum eſſe cœpit; nec jam numero tantum, ſed diſciplina, & ordine Britanni vincebant. Ibi Britannus Prætor, poſtquam primam turbari aciem Gallorum; mediam autem (ambo in ea Prætores erant) ſtrenue ſuſtinere impreſſionem vidit, quaſdam ſecum, & robuſtiores naves aſſumpſit, liberoque diſcurſu invectus in ordines Gallorum, quatuor a cætera claſſe naves diviſit. In his Prætoria Graſſis navis erat. Tum vehementior, & a multis ſimul Britannis navibus in has impetus eſt factus. Hinc, inde aut ira, aut pudor animos accendebat, cum non ſuam quiſque tantum vicem, ſed ſuæ gentis gloriam, & calamitatem ſpectaret. Rodneys præteritas ſuis victorias memorans; *veniſſe tempus*, ajebat, *quo gratiam ſibi pro longa militia*, *& bene-*

volentia rependerent : inimicorum quoque ſuorum obtrectationes (tarditatis enim, & ſegnitiei illum incuſaverant) re, non verbis refutarent : ut vero gloriari poſſet, nec ſuæ cunctationis aliquando, nec nunc virtutis, & audaciæ, nec unquam ſe ſui conſilii pœnituiſſe. Et ſenex ipſe, provectæque ætatis, vividæ juventutis munera obibat, & ex alto ſuggeſtu navis ad omnes ictus pariter, & pugnæ caſus expoſitus voce, & exemplo incitabat milites. Longa maritimæ rei diſciplina non bella magis, quam gubernare naves ſolitus ad omnia artis miniſteria intentus erat, pugnamque ſimul, & navem regebat. At ex altera parte Graſſe, quem pudor ceperat haud opportuni conſilii ſui, nunc increpando, nunc incitando milites, qui pugnam popoſciſſent, diu ſuperiores hoſtium vires ſuſtinuit : mox etiam fœdata nave Rodneys, abſtinere eum prælio coegit : & alias quoque fœdavit Britannas naves : ſuccedentibus tamen aliis ſuper alios in prælium Britannis, jam nec tolerare hoſtes Gallus, nec ſperare auxilium a ſuis poterat : poſtremo cum nihil opis in conſilio,

aut

aut viribus humanis eſſet, tradidit ſe victori. Et nihilo æquiore pugna cæteræ quoque naves Gallorum cum hoſte congreſſæ erant, præſertim in prima acie, quæ ſimul virtute navium Anglarum, nec longo certamine pulſa eſt, jam nec dubia clades Gallorum, nec anceps victoria Anglorum erat. Ut vero Prætor eſt captus; tum tota paſſim trepidari acie, tum ſimul capi, tum fugari Gallus. Diſſipata deinde claſſe, ſingulas prope naves Gallorum diverſum tenentes curſum, qua unamquamque agebat ſors, & ſpeciem præ ſe ferentes acceptæ cladis alio alias ferunt perveniſſe. Undeviginti naves, quæ vel prælio non interfuiſſent, vel levius ab hoſte incommodum accepiſſent, Vandrevillem ducem ſecutæ proſpera navigatione in S. Dominicum trajecerunt. Ut vero portum ſunt ingreſſæ primo admiratio tenuit homines, quæ cauſſa repentini earum adventus eſſet, cætera abſente claſſe; poſtquam fœdus navium aſpectus, & mœſtum ſilentium claſſiariorum nudavit cladem, tum mœror, & conſternatio occupavit animos; mox lamentationibus fœmi-

minarum, & inertibus hominum querelis omnia perſonabant. Deſiderium quemque ſuorum, qui vel amiſſi in pugna, vel captivi in poteſtate hoſtium erant, cum remorderet, pleroſque eorum veſtem mutaſſe accipio; publicique luctus imaginem tota urbe verſatam eſſe. Poſtremo ubi ad Prætorem Vandrevilles de male geſta re nuntium tulit, pro ſe quiſque in domum Prætoris tendere, velut aliquid opis, aut conſilii ab eo accepturi; totaque illa die obverſati veſtibulo Prætorii mœſti homines. Raro acerbius calamitatem ſuam ſenſiſſe Gallos credo; nec in Europa minor, quam in America luctus, & indignatio fuit: maximeque in ducem vertit invidia, cujus imprudentiæ accepta calamitas referebatur. Ille vero cum grege captivorum ductus in Angliam, mox in Galliam eſt reductus: ibique juſſus ſeu ſortis, ſeu temeritatis ſuæ cauſſam dicere, quoſdam navium Præfectos negligentiæ, quoſdam inobedientiæ incuſaſſe fertur.

CAPUT XIV.

Populorum Europeorum ſtatu breviter deſcripto, Aſiatici belli expeditiones narrantur, Anglorum præſertim adverſus Hider Aly, & in Colonias Batavorum.

RAro alias majori rerum agitatione & apparatu armorum bellatum eſt; nec conſiliorum minus, quam copiarum adhibita vis; ut ad ſui quiſque conatus exitum perveniret. Sed in tantis rerum difficultatibus ſuſpenſi inter ſpem, metumque populorum animi erant, qui bellum adminiſtrabant; experti toties fortunæ arbitrium, & infirmitatem conditionis humanæ. Tot interea exercitibus, claſſibuſque inſtruendis, alendiſque populorum æraria defecerant; cum vectigalia, & tributorum annui reditus in belli ſumptus abirent. Eo demum adducta res, ut non bello magis, quam magnitudine æris alieni oppugnarentur. At qui intacti adhuc a cladibus belli erant interclusam ſibi navigationem, vel circumci os

 com-

commercii quæſtus querebantur. Navalium namque materiarum, earumque omnium rerum, quæ ad belli uſum pertinebant, mercaturam facere vetiti erant. Ita non ſua minus mala, quam pugnantium odia, deteſtari videbantur, & tabeſcere quodammodo deſiderio pacis. At Caterina Regina Ruſſorum, quos plurimum ea commercii jactura, & periculum attingebat, ad novum amicitiæ fœdus Britannos, Batavoſque inter ſe revocare eſt aggreſſa. Ita Baltici maris liberam fore navigationem credebat. Interpoſita auctoritate ſua, cum utrique forte populi ad finiendum bellum intuerentur, fidem Reginæ dederunt æquas ſe pacis conditiones accepturos eſſe. Tum illa egregium facinus rata, ſi reconciliatæ ab ſe pacis titulum habuiſſet, acriore in id ſtudio animum adjecit. Antiquæ inter duos populos fœderis leges erant, quæ tamen haud Batavis placebant, utpote graves dignitati ſuæ: de his alias mutari, demi alias poſtulabant. Id minus difficulter, quam credebatur, ab Anglis impetratum eſt. Ultro, citroque & crebræ literæ, nuntiique miſſi, & per nobiles quoſ-

dam

dam viros pacis conditiones diſceptabantur. Cum proxima jam crederetur concordia populorum, præter expectationem nunciatum Reginæ eſt, pœnituiſſe pacis Batavos, conſiliumque cum Gallis iniſſe continuandi communi conatu bellum. Id non Reginæ minus, quam Anglis indignum eſt viſum; & hi neceſſitatem contraxiſſe rati perſeverandi in armis, majores quoque vires, & curam in bello adhibendam cenſuerunt. Ad hanc ſententiam, quæ paci adverſabatur, Batavos adductos fuiſſe accipio Angloamericanorum conſiliis, & pollicitationibus; qui avidam lucri gentem quæſtuoſiſſimi commercii ſpe, & liberæ navigationis titulo in ſocietatem pellexerunt. Fœderis ita inter utrumque populum renovata mentio eſt, idque unanimi provinciarum conſenſu compoſitum certis conditionibus, quibus utilitati partium conſulebatur. Deliberatione belli inita, in Aſiaticas Colonias cura omnium vertit, quod longe opulentiſſimæ ſpei, & cupiditati hoſtium objiciebantur. Magnam eo navium, militumque & armorum numerum mitti placuit. Anglis autem conſilium erat,

dum navalibus copiis in Aſia inſulas Batavorum oppugnarent, terreſtribus quoque viribus adverſus Gallobatavos, & ſocios Gallorum in Malabara adminiſtrare bellum: erant enim ibi nobiles aliquot Reguli, qui Gallorum ſectam ſovebant. Aſiatici belli curam Galli ſibi potiſſimum deſumpſerunt; quod Belgæ nullum non per rixas, & altercationes concilium traducentes tardiora auxilia faciebant. Ab Anglia igitur, & ab Gallia navium claſſes profectæ in Aſiam ſunt ſuppetias ſuis, bellique materiam, & cauſſam ferentes. Et in Aſia quidem gravis Britanno hoſtis erat Hider Aly, qui varios a puero expertus fortunæ caſus ad ampliſſimam Regni poſſeſſionem pervenerat. Malabaricæ hic regionis partem, & opulentiorem tenebat, alienatuſque ab amicitia Britannorum cum Gallis, finitimiſque coierat ſocietatem ad inferendum nomini Britanno bellum. Victor hinc ſæpe, ſæpe etiam victus, ſed novis ſemper viribus reſtaurans bellum. Duobus eum Angli perſequi exercitibus parabant ex Malabaricis Coloniis milite accito, & ab orientali regione Bengalæ

Con-

Contractis utrinque copiis ad Novum-portum Rex pariter, Anglique, Prætore Coote*, armati conſtiterunt: & in pugnam ſimul eſt deſcenſum. Par ferme utriſque animus erat; Europæis maxime copiis fidente Anglo; numero militum Rege, & tormentorum, quorum facultatem magnam habebat: ad horum quoque uſum gnaros ejus artis ex Europa magiſtros habebat, quos ſæpe utiliter adhibuerat: tunc quoque bellicis omnibus machinationibus*, & caſtrorum operibus præfecerat! Rex igitur lata direxit fronte cornua peditatus, equitumque diduxit alas, ut latera hoſtium aggredi opportune poſſet. Sed primam non ſuſtinuerunt periculi procellam Indi pedites, ut qui maxima ex parte tirones erant; turbabantque ſua ipſi procurſatione, & trepidatione aciem: & ubi primum labare, atque inclinare cœperunt, tum certam ſpectare fugam viſi ſunt. Vicit ergo inconditam hominum turbam virtus, & conſtantia militaris. Nec ullum in equitatu auxilium Regi fuit. Nam cum ſuam deſeruiſſet pugnam Indus pedes, in denſum, con-

ſertumque agmen Anglorum facultas irrumpendi equiti negata eſt. Pulſus Rex, caſtriſque exutus in interiorem provinciæ partem conceſſit ad comparandas novo delectu legiones. Sed Anglus, acceptis tum ſociorum, & Colonorum auxiliis, cedentes inſecutus hærebat veſtigiis regiorum, in novam pugnæ occaſionem imminens. Suam deinde ſpem obtenturum ratus, ſi oppugnationem aliquam ſimulando, Regem deinde eliceret ad novum pugnæ diſcrimen, Tripaſſoram repente corona eſt aggreſſus; quod ubi accepit Rex, periculo ſuorum motus, tardius tamen aliquanto movit copias, quas nuper contraxerat, admixtis quibuſdam cohortibus veteranorum. Expugnata tamen urbs eſt, priuſquam ad mœnia urbis appropinquaret. Et Cootes, accepto de adventu Regis nuntio, obviam ei cum exercitu proceſſit. Ut in conſpectu ſeſe mutuo habuerunt, patenti, pura planicie inſtruxiſſe aciem ferunt. Rex equitatu, & bellicorum copia tormentorum longe hoſtem ſuperabat. Quod equitum haud dubie ea pugna futura erat, nactus ipſe victoriæ ſpem, variarum gentium auxi

liis in prima fronte inſtructis, quod veteranarum copiarum erat, in media acie locavit, relictis a tergo ſubſidiariis pleriſque cohortibus: equitatu frontis partem, lateraque exercitus armavit: hinc tormentorum magnum numerum ante primam aciem diſpoſuit, ut impetum Europæorum retardaret. Anglorum acies ex Europæis maxime, & ſociorum auxiliis conſtabat: ſed neque numero æquare frontem hoſtium poterat, & paucitas equitatui rei gerendæ impedimento erat. Militaris ergo diſciplina, & peritia bellorum, & ſua ſtatario militi conſtans forma adverſus præſertim levem, & concurſatorem hoſtem victoriæ ſpem dabant. Et initio quidem pugnæ turbabatur aliquanto tormentorum vi Britanna acies; ægre quoque toleratura pugnam videbatur; ni adhortationibus ducis incitata conſtitiſſet primo, deinde acrius intuliſſet pedem in ſigna, & ordines Indorum. Inter hæc velitatio quædam potius, quam pugna Indici equitatus tenuit aliquandiu Britannos equites, qui firmis, denſiſque ordinibus accipientes impetum multitudi-

nem virtute ſuperabant . Cœpta tamen victoria eſt a pedeſtri acie Britannorum. Nam ut ſemel in ordines Indorum inſinuavit ſe, pavor deinde, & deſperatio victoriæ barbarorum undequaque pervaſit aciem. Trepidare hinc illi, & ſegniter conſerere, & ſaluti, quam pugnæ intentiores eſſe, donec univerſum inclinavit agmen. Et pavore, & tumultu peditum equitatus quoque perturbabantur alæ. Fluctuabat ad incerta conſilia Rex, ubi nec numerum victoriam ſequi, nec tormentorum, aut equitum vis aliquid auxilii in præſentia tuliſſet: cedere ergo raptim cum exercitu, & recipere ſeſe, poſtremo ne vallo quidem ſe tutos rati ad proxima regni præſidia dilabebantur. Equitatum in hoſtes tum tradi placuit, ne recipere ſe a turbatione ſua poſſent: Hic finis pugnæ fuit: tum vallo, caſtriſque potiti Angli ſunt. Alia quoque certamina inter Regem, Britannoſque hoc anno facta ſunt; quibus plerumque ſuperior Britanna vis fuit: & utrinque vel expugnata, vel recepta caſtella, urbeſque; ut nullus neque cladibus, neque victoriæ modus imponeretur. Et in Colonias

nias Batavorum, quæ in Malabara regione ſunt, ſimul illatum ab Anglis bellum eſt, quarum longe nobiliſſimam urbem Negapatam appellant. Eam muris validam, recenti quoque militum præſidio firmatam haud multa cum difficultate expugnaverunt: tum in Taprobanam inſulam eſt deſcenſum, non Scriptorum magis, quam navigantium fama nobilitatam. Jacet hæc ad meridiem regionis Malabaræ. Trinquemala in ea urbs eſt, totius inſulæ, Europæque, & Aſiæ externis ſimul, indigeniſque mercibus emporium. Nam hinc ab Europa in Indiam navigantes, & ab India in Europam venientes nautici eam inſulam terrarum primam attingunt; omnium ita gentium, merciumque receptaculum non in Africam modo, ſed in Arabiam, proximamque Malabaræ continentem, & in opulentiſſimas Aſiæ regiones opportune verſam. Omnibus fere Aſiæ frugibus fertilis eſt regio, cinnamo, aliiſque aromatibus in primis ferax, & lætis pabulis, quæ maximum præbent lucrum accolis, & maritimæ ſocietati Batavorum. Hi namque litora plerumque ejus inſulæ ar-

mis

mis obtinuerunt, multaſque in circuitu arces, & caſtella habent, quæ modicis tamen præſidiis tenebantur. Mediterraneis provinciis Reguli dominantur, quibus cum ſolis Batavis commercium eſt. Saluberrima quoque inſula mortalibus creditur maritimis circa plagis; at in interioribus provinciæ frequentibus ſtagnis, morbidoque aere valetudini hominum adverſa eſt, præſertim Europæorum. Trinquemalam urbem valida tuebatur arx, quæ in vicino monte conſtructa eſt: eo ductæ ſunt copiæ Britannorum: & primo dum in arduum montem erigitur agmen, confragoſis, diruptisque locis aſcendentes facile oppidani deturbabant; ſuperata deinde iniquitate viæ ſcalas muris applicuerunt; tantoque animorum ardore in traſcendendis his conniſi ſunt; ut neque armati oppidani muros defendentes, nec tormentorum, miſſiliumque ferreorum vis ex arce vexans hoſtes ſummovere ſcandentes potuerunt. Multis ſimul locis capta arx eſt; & parci inermibus juſſum: mox omnes pariter milites, centurionesque ſeſe dediderunt: & urbs in poteſtatem victorum ve-

venit. Aliæ deinde in inſula expugnatæ arces. Et in Sumatram deſcenſione facta, nonnulla ibi Batavorum caſtella ceperunt proſpera opportunitate uſi, quod auxilia Gallorum ab Europa ſocii miſſa in tempore non affuerunt. Per indem fere tempus ad Mauritii inſulam plereque ſtabant naves Gallorum Ovvreſco, & Suffreno ducibus. Superioribus hi Britannorum viribus committere ſe non auſi ſubſidiarias ab Gallia naves opperiebantur. Hæ autem a Breſtia profectæ, Pretore Sulange, magnam, præter ſpem, calamitatem acceperunt. Baringtonius enim Anglicæ claſſis Prætor profectionem, & conſilia hoſtium cum exploraſſet, ſtatuendis inſidiis advertit animum, validaque cum claſſe bellicarum navium opportuno loco inſedit; ut primum deinde conſpexit advênientes Gallorum naves, ſignum invadendi propoſuit. Britannus longe viribus præſtabat: multas ita onerarias naves cepit; bellicas deinde alias, non ſine tamen aliqua jactura ſuorum: reliquiæ deletæ claſſis in Galliam ſe receperunt. Perveniebant tamen ad Prætores Gallos naves aliquot,

quæ

Digitized by Google

quæ ſingulæ, aut binæ identidem ab Gallia ſubmittebantur; quarum adventu poſſe aliquid rati ad Coromandeliæ litus appropinquaverunt, nullo tamen memorabili eventu: Sumatram inde progreſſi, ſi quæ forte rei bene gerendæ occaſio daretur. Nihil ſpei ſuæ opportunum nacti, cum Coromandeliam avertiſſent curſum, obvios ex inopinato Anglos habuerunt. Tum inter eos commiſſa pugna eſt majori, quam pro numero navium, ardore, pertinaciaque: virtutis tandem magis gloria, quam victoria læti in ſuas quiſque Colonias tranſmiſerunt. Hæc in Aſia eo anno, hæc in America vario eventu rerum terra, marique ſunt geſta.

CAPUT XV.

Sacrificia, ſupplicationeſque in Hiſpaniæ provinciis fiunt divinæ conciliandæ gratiæ. Minoricana arx ſtrenue ab Anglis defenſa, ſtrenua perſeverantia ab Hiſpanis oppugnata obſeſſoribus tandem cum omni ſimul inſula deditur. Ad Gibraltariam in oppugnatione maritima clades accipitur ab Hiſpanis. Hiſpanæ ſimul, & Britannæ gentis elogium.

IN Hiſpania major Caroli Regis cura ad Minoricanæ arcis expugnationem, incumbebat, & Gibraltariæ. Dum bellicarum rerum apparatus enixe perficiebatur, placuit divinis quoque rebus operam dare, piaculaque fieri, quæ Dei Optimi Maximi, & cœleſtium Divum tutelam Hiſpanæ Reipublicæ conciliarent. Ut quotidiana ſacrificia fierent pie curavit Rex; edictoque Epiſcoporum, qui provinciis præſidebant, ſupplicia Deo Optimo Maximo ſunt decreta, & ut quatriduum divina-humana hoſtia ſacrificaretur cum precatione ea, *quas res pro*

fe-

felicitate populi Hiſpanorum Rex decreviſſet , & Hiſpana juventus conniteretur , uti eæ res proſperæ Regi , populoque Hiſpanorum evenirent . Frequentes quoque populi ad omnia templa ſupplicatum iere ; veneratique , & precati Deiparam Virginem ſine labe conceptam Hiſpanæ ſobolis Altricem , & Patronam , ut volens propitia incepta tueretur , ac promoveret . Rebus divinis ſancte , religioſeque perfectis ad bellum verſi animi . Per idem igitur anni tempus (initium autem anni erat) acriore operum conatu , induſtriaque Minoricana arx , & Gibraltaria ab Hiſpanis oppugnabantur . Fœda tamen ad Minoricam accepta clades erat . Opportune namque eruptione ab Anglis facta , Hiſpanorum operum partem , pulſis cuſtodibus , ferro , ignique abſumſerunt , & pugna inter utramque gentem commiſſa eſt , & cædes utrinque fuit ; reſtaurata tamen opera ſunt ; & duriore deinde oppugnatione premebantur hoſtes ; & omnes ſimul inſulæ ſinus cum cura cuſtodiebantur ; ne qua obſeſſis auxilia ſummitterentur . Ita ad ſummam rerum omnium ino-

inopiam adducti Angli ſuſtinere ultra deditionem non videbantur poſſe. Tum primum de tradenda arce cogitatum eſt. Albeſcente cœlo (quartus ante nonas Februarias is dies fuit) nobilis Centurio ab arce miſſus (Drapper ei cognomen erat) in caſtra ad Crillonium venit; ſalutanſque ipſum comiter, & circumſtantes Tribunos; *poſt turbidam inquit, inſomnemque noctem, Amici, clara vobis, & jucunda dies venit, qua virtutis, conſtantiæque veſtræ præmium habeatis*: de conditionibus deinde tradendæ inſulæ actum inter eos eſt amice potius, quam hoſtiliter: idque ſtrenuæ virtuti Britannorum ſe dare profeſſi Hiſpani ſunt. Has autem pacti conditiones; ut Britanniam præſidiarii deportarentur navibus Hiſpanorum; iis vero belli gerendi adverſus Catholicum Regem jus ne eſſet, donec pari numero Hiſpanorum permutarentur: conceſſum tamen omnibus eſt, ut ſuas quiſque privatas res ferre poſſet; & benigne ægris, ſauciiſque cura præbita; liberaliterque a Crillonio Murray Prætor eſt habitus quamdiu in inſula fuit. Victor deinde exercitus in Penin-

ſu-

ſulam eſt reportatus. At difficiliore multo eventu ad Gibraltariam bellum gerebatur. Nam & Novembri menſe ſuperioris anni Hiſpanorum operum partem obſeſſi Angli igni corruperunt; & poſtquam ea refecta ab Hiſpanis ſunt, novo, & felici conatu disjecerunt. Nulla tamen quies dabatur Anglis ab ea præſertim parte, qua objecta ab ſeptentrione Hiſpana caſtra erant; crebriſque tormentorum ictibus turres, quæ in rupe erant, aliæque hoſtium munitiones aliquo cum effectu quatiebantur. Sed pari invicem diligentia Britanni, ſi quid muri uſquam procidiſſet, novum extemplo extruebant. Et per idem tempus duæ portus pilæ (novam, veteremque appellant) non diſſimili eventu oppugnabantur: & munitionibus, quas in promontorio (quod Europæ promontorium appellant) Britanni habebant, vis inferebatur eorum ope navigiorum, quæ jam ſupra deſcripſimus. Enimvero hoc modo eludebant verius, quam conficiebant bellum, ſuſpenſis tanti exitus expectatione animis; dum in diverſum otioſorum hominum ſtudia, & opiniones inclinarent; multaque

que vana , nec credibilia vulgo afferebantur : Cum ſeneſcere aliquo modo videretur bellum , & protrahi ſpes populorum , placuit Carolo Regi ad exercitum mittere Crillonium : ibi enim acrius ingenium , & ad perficiendum opus plus dexteritatis ineſſe . Ubi ad exercitum pervenit, cum plauſu excepere Hiſpani , pulcrum rati, ſi Gallicæ vivacitatis aliquid lentitudini , & cunctationi Hiſpanæ gentis admiſceretur : tum vero ſe virtute , & conſtantia ſua ſpe , & eventu potituros eſſe . Brevi omnia perfecta ad univerſæ rei diſcrimen apparuere : tecti vallo milites propius ad hoſtium munimenta acceſſerunt ; aggeremque immenſæ molis paucis horis excitatum ferunt ; quo turres aptius , propiuſque vexabantur : & omnia alacriore animo fieri cœpta . Ut tantorum vero operum , quæ urbem defendebant , virtus frangeretur , & conſtantia Britannorum ; cum ab terra Hiſpanis minor proficiendi ſpes eſſet ; maritima vero oppugnatione facilius dirui munitiones credebant ; terra ſimul , marique totis viribus urbem aggredi, & diſtinere hoſtium vires parant . Novæ quo-

que formæ navigia ædificata ſunt, quibus in oppugnatione uterentur. Navigia hæc magnitudine bellicis navibus paria palis intus ordine defixis, conſtratoque deſuper tabulatu in longitudinem tegebantur: idque utiliter cogitatum; ne proximiores in conflictu litori naves telorum, miſſiliumque ferreorum procella obruerentur: ad hoc miræ artis machinationes hidraulicæ conſtructæ ſunt, quibus effectum eſt, ut undequaque naves circumflueret aqua, eo conſilio, ut ſi ignem caſu ligna conciperent, facile extingui poſſet. In altero navigii latere diſpoſita ſuis quæquæ foraminibus tormenta erant; in altero ſtabiliendæ navis cauſſa, ingens ſaburræ numerus congerebatur. Ad hanc veluti juſtam bellicorum navigiorum aciem nonnullæ quoque ex claſſe naves adjectæ, quæ tanquam ſubſidiariæ in prælio adhiberentur. Cùm ſatis præparata omnia ad id certamen eſſent, quod finem bello allaturum credebatur, a terra ſimul, & a mari memorabilis edita pugna eſt. Ab caſtris non intermiſſo omnis generis miſſilium jactu, quæ in monte munitiones ſunt, acer-

acerrime affligebantur; & ab navali exercitu ambæ portus pilæ non minori belli conatu diſcuti cœptæ : tanta quoque Hiſpanorum audacia in maritimo congreſſu fuit ; ut periculi omnis , corporumque ſuorum obliti prope ad litus , ac portum accederent objecti penitus vi , & inclementiæ tormentorum : jamque ex parte ſubruebantur maritimæ munitiones urbis , cum repente Angli murum (paucis ante diebus extruxerant , multaque novæ formæ opera occulebat) cum clamore , ac ſtrepitu disjecerunt ; ſimul novum , & inexpiabile belli genus in Hiſpanos creatum eſt . Miſſilium namque ferreorum miræ , nec uſitatæ magnitudinis igne candentium , velut nimbum in naves inceſſerunt : quacumque autem inſinuabant ſe (per foramina navium pleraque intrabant) duabus primo, pluribus deinde in navibus incendium excitaverunt . Ad hanc geminam peſtem incendii ſimul , & pugnæ diſcurrere primo undequaque Hiſpani ad reſtinguendam flammam ; poſtquam nulla humana opprimi induſtria poterat , tum trepidare , ac deſperare certamen , poſtremo faucii ,

 ac

ac ſemiuſti, velut fulminibus de cœlo icti ſalutem ſibi quærebant. Pars eorum cum in mare præcipitaſſent ſeſe, fluctibus elidebantur, pars flamma abſumti: nonnulli flammæ ſimul afflatu, & maris jactati æſtu lentitudine ipſa mortis excruciabantur. Tum vero ab omnibus ſimul navibus omiſſum prælium eſt; & nihil ultra, quam incendii fugam ſpectabant: nam flebiles undequaque voces, & ſuſpiria morientium, & ſuum cujuſque imminens periculum feroriores quoque alienaverat ab ſenſu animos. Arceſſitæ tamen ab Gadibus ſcaphæ, quæ saucios, ſemianimeſque milites exciperent: & ab urbe ſimul immiſſæ rates in fluctuantium hoſtium turbam multos naufragio exemerunt: deductique in portum refecti ſpiritu quoquo modo ſunt, deinde in caſtra miſſi ad ſuos, ut facilius curarentur. Ad duo millia Hiſpanorum eo die periiſſe ſatis conſtat. Nihil inde in munitiones urbis tentatum ab Hiſpanis eſt. Hunc æque memorabilem, ac non expectatum Gibraltariana oppugnatio habuit exitum, in cujus ſane oppugnatione urbis utrius populi virtutem magis admi-

rer

rer mihi in incerto relictum ſit. Felicior certe ad exemplum Hiſpana virtus fuit, ad cujus velut inſigne ſpectaculum obſtupuiſſe ſœpius Eliottum fama eſt: ſuis ipſum deinde militibus aliquando dixiſſe ferunt; *At ego vobis, commilitones mei, certam victoriam promitto, ſi virtutem hoſtium veſtrorum, & conſtantiam imitemini. Parva enim illi cum ſpe ſucceſſus, difficillimo tamen in inceptu perdurant, devoturi corpora pro gloria, & obedientia militari*. Hanc ducis adhortationem ita accepere Britanni, ut nihil deinde hoſtibus nec virtute, nec perſeverantia cederent

CAPUT XVI.

Tempeſtate jactata Claſſis Hiſpanorum cum Gades ſe recepiſſet, Angli occaſione capta Gibraltariam magnos commeatus important; Britanniam deinde repetunt. De hac Britannorum expeditione Scriptoris judicium.

SEd neque tanta calamitate accepta Hiſpani conſilium abjecerunt expugnandæ urbis. Verſa tamen in obſidionem oppugnatio eſt. Conſtabat autem, niſi novi ab Anglia obſeſſis hoſtibus commeatus ſubveherentur, propediem anguſtia rerum omnium in deditionem compulſum iri. Valida igitur bellicarum navium claſſe Peninſulæ fretum Cordova cuſtodiebat, in id præparatis omnibus, ut venienti ab Anglia hoſti (veniebat autem non æquis viribus, forti magis, quam opibus fidens.) navalis injiceret certaminis neceſſitatem. Sed humanum eluſit fortuna conſilium. Diu commoratus in Oceano Aloyſius fruſtra tamen hoſtem, & prælii occaſionem expectavit; dilata nam-

namque per aliquod tempus Britannorum expeditio eſt : mox diræ procellæ cum acerbiſſima tempeſtate effuſæ pene obruerunt Hiſpanam claſſem; adeo ut aliis mali navibus, alia aliis armamenta detergerentur. Quid faceret Aloyſius? diu ad incerta nutans conſilia, neceſſitati tandem eſſe parendum ; & ictis tempeſtate navibus, conſumtis cibariis quietem reficiendo militi, & claſſi dandam exiſtimavit . Hoc quoque credebat fore, ut ſi venientes maritima vi confligtarentur hoſtes, vel vagaturi in incertum eſſent, vel fœdiore caſu in Peninſulam alliſuri claſſem. Illi vero, Hovve duce , auſi ſe committere mari , & incertis fortunæ caſibus , quod omnia præcogitato incepto poſthabenda exiſtimabant , parem virtuti , audaciæque ſuæ eventum obtinuerunt . Cum in ſtatione Hiſpana claſſis eſſet , Angli interea ab domo profecti ipſa tempeſtatis vi non ſine periculo navium in Hiſpaniam ducebantur . Prætergreſſi deinde Gaditanum fretum , & in ipſo prope conſpectu hoſtium Gibraltariam vectoriarum navium partem , & ſupplementa militum immiſerunt ; cæteras naves in mediterraneum

 abri-

abripuit æſtus, & impetus ſævientis adhuc tempeſtatis. Ibi aliquandiu contrariis circumlatæ ventis, raro felicitatis exemplo nullam neque ab hoſte, neque a voraci ſalo expertæ cladem in Oceanum curſum averterunt. Sed ab Gadibus, audito adventu Britannorum; cum primum facultas navigandi facta eſt, Hiſpana claſſis ſolverat: inſecuta deinde aliquandiu eſt regredientes in Britanniam hoſtes. Ad quinquaginta Hiſpanæ naves erant, admixtis nonnullis Gallis; tertia autem pars earum maximæ formæ, ut ad bellum invictæ, ita ad curſum tardiores. Ea vero res pugnæ, & victoriæ impedimento fuit. Maximæ namque formæ naves præterquam quod ægre cæteram ſubſequebantur claſſem, agiliores quoque interdum morabantur naves, & nullo modo adipiſci potuerunt hoſtem. Leviores deinde naves Hiſpanæ certaminis opportunitate invectæ in altum, hærenteſque tergo Britannorum, & provocare eos ad pugnam, & quoquo modo confligere ſunt aggreſſæ. Ita inter poſtremum agmen Britannorum, & anteceſſores Hiſpanos aliqua pugna fuit. Cæterum,

rum, ut Hovvi ſententia erat declinare pugnam, ne forte aliqua jactura ſuorum totius expeditionis felicitatem defloraret, proſpero ductus vento in Angliam procedebat; & aliquoties oſtentando pugnam, nec tamen conferens, ſpem, & aviditatem fruſtrabatur hoſtis; donec inutili conatu eſt dejectus. Tum inexplicabiles belli caſus incuſare Hiſpani, & fallax fortunæ arbitrium, quo ſæpe hoſtes turata eſſet: tandem in ſuos portus reverterunt. Prætor vero Britannorum non virtute tantum, ſed felicitate ſua inſignis cum victoriæ nuntio incolumem claſſem in Angliam reduxit. Concurſus ibi undequaque in portum non popularium modo, ſed principum quoque, & lætæ conclamationes, & ludicra, ut effuſa in eum morem gens eſt, & inſtaurata ſæpius ſpectacula fuere. Et gratulabantur invicem, quod tam bene tribus viris permiſſa eo anno Reſpublica eſſet; graviſſimæ civitatis propugnaculum vocare Eliottum, & Britannicæ majeſtatis aſſertorem; duo belli tela Rodneym, Hovvemque, & adverſus hoſtem inexpugnabiles duces. Cæterum communis hæc opinio

nio non Angliam modo omnem, ſed Europæ plerumque regna, & Americam vulgo implevit; Hovviſque expeditionem clariſſimorum tum veterum, tum recentiorum ducum expeditionibus exæquabant; quam ego opinionem nec penitus refello, nec facile adducor, ut probem. Nam ſi cujuslibet gloriæ detraham, injurioſus merito ſim; cum felicitati quoque humanæ a ſapientibus interdum viris aliquid laudis ſit tributum. Sed de vulgaribus opinionibus judicare Scriptori maxime convenit; præſertim ſi ad exemplum ſpectent, & ad normam poſteritatis. Hoc quoque præcipuum hiſtoriæ munus eſt exempla rerum, judiciaque ſubtexere; ut quid inde conſilii in ſimili re capias, quid ſequi, quid cavere debeas cognoſcere facile poſſis. Hanc ego Britannorum expeditionem extimans multa objiciebam animo, quominus ad imitationem proponerem. Jam primum in bellis gerendis conſilium, & prudentia requiritur, qua ſapientiſſimæ quæquæ gentes maxima ſibi imperia conſtituerunt: improvidæ autem virtuti, ferociæque non niſi raro venia concedi-

tur.

tur. At ſæpe victoriis, quæ conſilium abnuerint, irrogata publice ignominia eſt, ſæpe etiam capitali pœna multatæ: ne quid omnino inconſulte, ne quid improvide fiat. Cum enim fortuito nata imperia non ſint, ut ſemel adoleverunt, providentia ſtant, dilabuntur temeritate. At quæ fiducia victoriæ Britanno erat triginta naves habenti, veteres pleraſque adverſus robuſtiſſimam, & duplo majorem numero claſſem, adverſus Hiſpanum hoſtem ſua ipſum natura gravem, & ubi ſtrenuus dux belli adſit, timorem, & fugam inexpertum? Enimvero, inquies, audaces fortuna juvat. Hoc non de vitio, ſed de virtute ſit dictum. Si forte ſcilicet, velut occaſione, ad rem bene gerendam utaris; ut non temerarius inde, ſed ſolers, ſed caſus in conſilium vertiſſe credaris. Blandienti fortunæ, & caſibus rem tuam committas, vento, & mari credas? Infida hæc, quæ non cœcam modo fiduciam, ſed potentiora aliquando conſilia, & vires deceperunt. At meo quidem judicio meliore in conditione eſt Gallorum clades Graſſe duce accepta, quam hæc victoria Britan-

tan-

tannorum. Non locus loco, non vires viribus comparentur. Illi namque prope inſulas ſuas, & in conſpectu ſociorum, qui ex fuga naves receperunt, confligere auſi ſunt: hi procul ab domo, nullam habituri ſpem ſalutis, ſi calamitas interveniſſet: illi minoribus aliquanto copiis; hi longe inferiores viribus bellum geſſerunt. Quid ſi multo maturius, aut media ferme æſtate expeditio tentata eſſet, & mars belli anceps, & paucitas copiarum Britannos adverſæ præbuiſſent fortunæ? Deleta claſſe, jam non Gibraltariæ magis, quam Britanniæ ipſi timendum fuiſſet. Enimvero Gallorum clades fœda, quod abſurdo tempore, & alieno a propoſito belli eſt accepta: hæc Britannorum expeditio neceſſitate quadam, fervidaque indole gentis, & eventu ipſo excuſata eſt.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Pertæſi diuturnitate belli populi, qui in armis erant, ad pacem inclinant animos: mox de conſtituendis amicitiæ legibus concilium legatorum indicitur. Conditiones, quibus pax facta eſt, referuntur, & præſens conditio populorum.

DUm hæc ita gererentur, cladeſque, & victoriæ Britannorum mira quadam ſorte alternarentur; ut non minor inde metus, quam ſpes futurorum eſſet; Gallispanos quoque diuturni, nec ſatis ſibi proſperi belli tædium cepit. Nam in Europa Minorica capta, & Gibraltaria fruſtra oppugnata res quadam vice penſabant, & in America proſperis Colonorum expeditionibus adverſa ad Antillas navalis pugna opponebatur: ita incertus rerum exitus; perpetuaque belli diſpendia propenſiores ad pacem animos faciebant. Mentio primum ejus ab Anglis eſt facta. Cum Coloniis namque ut concordia componeretur enixe ab iis tentatum: quod vero ab hujus fœdere pacis

Gal-

Gallos excludi volebant, unanimi Colonorum conſenſu diſcuſſum eſt. Nam & multa ab Gallis beneficia ſeſe accepiſſe Coloni profitebantur; & his ſociis auctoribuſque pacis ſecuriorem ſibi futuram credebant. Poſtquam nullo modo ſegregari a publica cauſſa Coloni potuerunt, permiſere Angli, ut conſenſu populorum, qui in armis erant, Lutetiam Pariſiorum ad componendas conditiones pacis conventus legatorum indiceretur. Convenere eo, præter Gallos Miniſtros, Britanni legati duo Oſvaldus, & Hebert, & legati Batavorum, & Hiſpanus Arandæ Dux, & Americanorum legati. Priuſquam tamen in Concilio legatorum pax ageretur, Oſvaldus, velut ad ultimum experimentum ſpei Britannorum, ſi quoquo modo revocari ad officium Coloni poſſent, privatim eos, qui Lutetiæ erant, aggreſſus lenem hanc, & tempori convenientem orationem habuit; *Æquum profecto erat*, inquit, *dum inter nos concordiam reſtabiliremus*, *ut ii primum pacem peterent*, *qui priores arma moviſſent*; *&* *irarum veſtrarum pænituiſſe vos*, *qui propinquis*, *&* *cognatis veſtris*, *qui germanò*

po-

populo haud ſatis digna cauſſa intuliſſetis bellum. Tunc vos pariter, & nos, qui inviti ceperamus arma, pacem accepiſſemus non neceſſariam modo, atque utilem, ſed æquiorem etiam utriſque. Nunc forſitan alieno tempore, ferveſcentibus odiis veſtris Britanni pacem petimus; & facilitate ipſa, qua petimus, viliores. Sed ſi ab omni nos contemtione vindicant Britannum nomen, & florentes adhuc noſtræ opes, cum adverſus tantos Reges, populoſque invicti bello ſteterimus; profecto acceptiora vobis facilitatem hanc noſtram, & deſiderium pacis futura ſpero. Nuſquam autem vel facilius, vel jucundius pax repetita eſt, quam inter eos, qui in eadem patria geniti diſcordia aliqua diſtracti civile deinde bellum abhorruerunt. Inimicitias namque non niſi raro diuturnas in hoſtes, breves, admodum, & placabiles, inter cives oportet eſſe; idque non externis modo, ſed domeſticis quoque exemplis docemur: nulla namque eſt adeo ſancta, & tranquilla Reſpublica, quæ non aliquando diſcordiarum quaſi fluctibus extuaverit, ac perturbata ſit. Sive igitur error aliquis, ſive cupiditas a communi nos patriæ ſocie-

tate

tate alienaverit, eam certe non diſſolvit. Iidem & Britanni ſumus, qui antea fuimus: & pacificare invicem infenſos animos, & iterum coaleſcere in unum corpus poſſumus, ſi ea mens vobis futura ſit. At vobis fortuna dedit, ut & bellum in manu veſtra, & pacis conditionem haberetis; quam enim ipſi malueritis, eam vobis patria conceſſura eſt. Duas autem video eſſe conditiones pacis: unam, qua reconciliati patriæ ſub uno, eodemque Britanniæ Rege, legibus tamen veſtris, magiſtratibuſque, & concilio gentis veſtræ Colonias adminiſtretis; alteram, qua ab civitate noſtra diviſis, amicitiæ nobiſcum, non patriæ ſocietas ſit: quarum priorem conditionem, etſi fortaſſe minus ingenio veſtro congruam, utiliorem tamen fore vobis facile perſuaſerim. Quid enim longo, ac difficili bello, & ſeceſſione veſtra a patria vel petiſtis aliud, vel optaſtis, quam ne, ut dictitare ſoletis, Britanniæ legibus manciparemini; ut vectigalium vobis, ut tributorum imponendorum liberum jus eſſet? Hoc autem vobis facile concedimus non plus pacis componendæ ſtudio, quam quod plerique inter nos ſunt, qui id vobis conce-

ce-

cedendum judicaverint. Nolite exiſtimare, Americani, unius in vos animi fuiſſe Britannos omnes; Colonorum cauſſæ univerſos adverſatos eſſe. Sunt contra multi, qui bellum diſſuaſerunt; priuſquam arma moverentur, & ſuſcepto deinde bello, ab armis omnino putaverunt diſcedendum eſſe; quod rationi congrua jura veſtra crederent, & ad æquandam Britannorum omnium libertatem pertinerent; quorum auctoritatem ſi cæteri ſecuti eſſent, nullum nunc inter nos bellum haberemus. At vero conſtituta libertate veſtra, fundatis juribus, pro quibus pugnaviſtis, quis dubitaverit utrum melius vobis ſit retinere ea, quæ prius habebatis, an contra prorſus amittere; Britannicam ſcilicet civitatem, tutelam potentis imperii, opulentiſſimæ gentis commercium; quo tandem commercio in eas opes creviſtis, ut nulli jam invidere ſit fas: tutela autem, & civitate noſtra & gloriabimini ante, & felicitatis veſtræ velut principium ducebatis. Equidem inter magnorum Regum fines poſitis multa vobis pericula impendere oportet, & belli caſus ſunt pertimeſcendi: Quid ſi involuti principum factionibus, viribus veſtris parum ſirmi eos

 ali-

aliquando habeatis hoſtes , quos hoc bello ſocios habuiſtis ? Nolite ex præſenti ſtatu rerum futuros extimare caſus : multa, variaque , & inexpectata tempus affert , a quibus nulla providentia , aut conſilio caveri poſſit . Profecto egere vos opportuno aliquo præſidio , ac veluti tutela tanquillitatis veſtræ ; & longe utiliſſimam fore vobis Britannam ſocietatem facile fateamini , quæ natura ſua ſtabilis nec tempori , nec periculis ceſſura ſit . Hujuſmodi autem ſocietas eo optabilior vobis , quod nullo modo nocere , at prodeſſe plurimum poſſit . Ut Scoti , atque Hiberni non jugum ſervitutis inde , ſed libertatis præſidium accepturi ; & eo in libertate veſtra ſecuriores vos , ſi quæ unquam fraudis ſuſpicio ſit , quo potentiores , quo ab Europæ finibus longius abeſtis . Scio equidem , dicet aliquis , hoc maxime expedire Coloniis noſtris ; ſed obſtat odium , & inveteratæ inter arma inimicitiæ . Adeo ne efferata ira veſtra eſt , adeo tenaces animi , ut nec regi ullatenus , nec flecti ratione poſſint ? Feras quoque belluas facile miteſcere , & beneficia ſentire videmus , & ſenſum aliquando prodere amoris , cum rationis ſint expertes . Vos non patriæ

ca-

caritas, non vetera, novaque beneficia germanis veſtris reconciliabunt? At conſilio maxime reguntur homines; nec ita odiis, & offenſionibus indulgent, ut ſibi ipſis nocere malint, quam prodeſſe alteri: ad honeſtas quippe utilitates vis omnis, & ſapientiâ referuntur. Vincat ergo utilitas, conſanguinitatis amor, tot vetera, recentiaque exempla potentium populorum. Fauſto, felici omine redite in patriam veſtram cives, cujus invictum adhuc nomen per vos in terris multiplicatum eſt. Si iram, atque odia remiſeritis, hoc fraternitati, & ſanguini, hoc præteritis Britannorum beneficiis, hoc patriæ lacrymis daturi eſtis. Nihil movit Colonos oratio Britannici legati, captis inter diutina arma, mutuaſque injurias novæ libertatis dulcedine animis: adeo ne minima quidem civilium diſcordiarum principia ſunt contemnenda, quæ cum creverint, maximas ſæpe Reſpublicas diſſolverunt! Cum nullo modo adduci poſſent Coloni, ut Regis imperium acciperent; negarentque, niſi prius de libertate, & Republica Americanorum conveniſſet, aliquid de pace acturos, Britanni, qui de hac re libe-

ra mandata habebant, nihil ultra tetenderunt. Agitari in concilio conditiones cœptæ, & querelæ hinc inde auditæ, & poſtulata ſingulorum. Apparebat, niſi multis jacturis ſuis, pacem Anglos obtinere non poſſe in tanta concordia ſociorum. *Nec tutam, nec quietam ſibi fore pacem Coloni*, dicere, *niſi omni prorſus poſſeſſione urbium Angli cederent, quæ fœderatarum provinciarum finibus continerentur: deducenda porro præſidia ex iis, integroque ſtatu earum magiſtratibus tradendas Colonorum*. Ad hæc lenius Angli agebant, quam ſperandum credebatur. Vehementius contradicebant Hiſpanis, qui Gibraltariam ſibi reſtitui æquum cenſebant, vel Jamaicam, præter Orientalis Floridæ partem, quam Angli poſſidebant. Omnium acerbiſſimi Batavi viſi ſunt in conditionibus ſtabiliendæ pacis. Nam & captas ſibi urbes reſtitui, & quod in impenſas belli erogaſſent, ſolvi ſibi æquis penſionibus in certum tempus poſtulabant. Indignum videbatur Anglis, ut qui minimam in bello partem habuiſſent, & alias ſuper alias accepiſſent clades, intolerantius ſe gererent: nunc vero tan-

quam

quam victores leges crederent impoſituros eſſe. Pertinaciter tamen manebant in ſententia ſua Batavi, donec in aliud tempus dilatæ fœderis cum eis conditiones ſunt, ne diſtinerent propoſitum pacis. Inter multas, acerbaſque, & inexplicabiles legatorum altercationes ſæpe de effectu operis dubitatum eſt: inclinatis tamen ad concordiam animis, in has tandem convenere leges pacis; *Britanni ex omnibus civitatibus, quas in continente Colonorum habeant, præſidia deducunto; vacuas eas Colonorum præfectis tradunto; tormenta, aliaſque materias, quæ ad publicam belli, & pacis uſum pertineant; ne alio transferunto; privatis Britannis ſua quibuſque bona, quo placuerit, ferendi jus eſto*. Cum Gallis ita ſancitum fœdus eſt, ut ultro, citroque reſtituerentur urbes, quæ in hoc bello captæ poſſiderentur in Africa, Aſiaque, & in America, paucis exceptis, quæ commercii exercendi cauſſa, aut faciliore ejus uſu pactum eſt, ut retinerentur: in America Tabagus inſula Gallis data, & piſcandi jus in ſeptentrionali Oceano. Quod ad Hiſpanos attinebat, affirmata iis poſſeſſio eorum

loco-

locorum, quæ in Europa, & in America armis occupaſſent: item in fœdere adſcriptum, ut Florida omnis qua ad orientem, quaque ad occidentem vergit Hiſpanorum formulæ adjiceretur: piſcationi, quam in ſeptentrionali Americæ mari facere Hiſpani ſolebant, publice
1783 renunciatum eſt. Anno Chriſti milleſimo, ſeptingenteſimo octogeſimo tertio principio menſis Februarii pax inter Regum Legatos conſcripta eſt, quieſcentibus tandem populis a diutina defatigatione belli, & animorum. Apparuit autem Colonos maximum ex bello tuliſſe fructum; Gallos amicis potius, quam ſibi ipſis utilitatem quæſiſſe; ſpe deprimendæ Britannorum potentiæ, & ditioris in America commercii, quam ullo præſenti ſuo commodo ad bellum impulſos. At Hiſpani, præter reſtitutam veterem genti gloriam, & militarem diſciplinam, in Europa, atque America auctum ſibi imperium gaudebant. Britanni contra diuturnam felicitatem, & maris imperium vel omnino amiſſum, vel cum Galliſpanis communicatum credere; leniter tamen, prudenterque ſuam calami-

ta-

tatem ferre ; & mederi potius inteſtinis malis , quam contra fortunam tendere videbantur velle. His conditionibus pacis , & populorum, etſi nullus forte ſua omnino contentus credebatur , Europa tandem tranquillitatem adepta eſt ; quam pacem ut ſalubrem, ita diu quoque manſuram ſpero, ſi tot incommodorum, quæ bellum tulit , diuturnum tædium ſit, & Chriſtianæ cura concordiæ.

FINIS.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 14. v. 10	
quas in Africa	quas in Aſia

Leviores vero errores amicus corrigat Lector.

Copia di biglietto d' avviſo di S. E. il Signor Marcheſe Caracciolo.

A NOME

DI SUA MAESTA' (D. G.)

ALL' AUTORE.

DEferendo il Re benignamente alle ſuppliche di V. S. Illuſtriſſima per dedicare alla Maeſtà Sua la di lei opera latina *Rerum Galliſpanarum* ; ſi è degnato accettare tal Dedica , ed approvarne l' elegante , ed aureo tenore . Ne la prevengo di Real Ordine , per ſua intelligenza , e governo . Palazzo 6. Settembre 1786. = Il Marcheſe Caracciolo = Signor Duca di Torano.

533281

Nazionale NAPOLI

ERRATA	CORRIGE
Pag. XVI. v. 6. prætium	pretium
pag. 14. v. 10. quas in Africa fecerant	quas in Aſia fecerant
pag. 20. v. 14. præſidium	præſidium
pag. 27. v. 26. integtæ	integræ
pag. 53. v. 1. hoſtium	hoſtium
pag. 72. v. 24. ſuper impoſitas	ſuperimpoſitas
pag. 82. v. 8. Ineunte vere Rodneys	1781 Ineunte vere Rodneys
pag. 87. v. 6. *bellici*	*belli*
pag. 94. v. ult. ditebatur	ditabatur
pag. 101. v. 13. ferme naves	ferme bellicas naves
pag. 102. v. 13. quequæ	quæquæ
pag. 109. v. 1. ſuperiore anno amiſerant	ſuperiore anno Coloni amiſerant
pag. 112. v. 2. profecti in Virginiam	profecti, in Virginiam
pag. 118. v. 8. quis dicat,	quis dicat?
pag. 118. v. 8. Si omnia exempla	Si externa omnia exempla
pag. 118. v. 9. origibus	originibus
pag. 127. v. 7. ſuſtentabat	ſuſtentabant
pag. 136. v. 9. *in S. Dominici urbe*	*in S. Dominici urbe* (Capo Franceſe)
pag. 144. v. 8. Vandrevilles	Vaudrevilles
pag. 147. v. 25. Magnam	Magnum
pag. 177. v. 21. gloriabimini	gloriabamini
pag. 182. v. 5. piſeationi	piſcationis
pag. 182. v. 7. publice renunciatum eſt	publice jus renunciatum eſt.

Digitized by Google